

OVOD ORBI CHRISTIANO
TOTIQUE REIPUBLICAE LITERARIAE

FELIX FAUSTUMQUE ESSE IVLEAT

DEVS OPT. MAX.

EX AVCTORITATE ET SVB AVSPICIIS
AVGVSTISSIMI, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI

DN. GEORGII III

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCAE ET HIBERNIAE
REGIS, DEFENSORIS FIDEI,
S. R. I. ARCHITHESAVRARI ET ELECTORIS. tel. tel.
ILLVSTRIS ARNOLDINI H. T.

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

VR EXCELLENTISSIMVS PLVRIMVMQVE REVERENDVS
ET CELEBERRIMVS

DN. ANTON. CORN. BARKEY,

S. S THEOLOGIAE DOCTOR,
NVNC VERO ET

EIVSDEM THEOLOGIAE PROFESSORIS PVBL. ORDIN.
MVNVS SOLENNITER H. L. S. S

DIE HVIVS ANNI MDCCCXVII. ORDIVR.
QVAM QVIDEM CERIMONIAM VT PRAESENTIA
SVA CONDECORARE VELINT ACADEMIAE
NOSTRAE FAVTORES ET AMICI

OFFICIOSE ROCAT, ET

DE OPTIMO INFANTES AD VIRTVTEM ET
FELICITATEM EDVCANDI MODO

BREVITER DISSERT

IO. PHIL. LAVR. WITHOF

I. H. FIL. MED. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORD.
CEL. S. S. COMITIS BENTHEMIO STEINF. ARCHIATER
ET AB AVLAE CONSILII, DIVERSISQVE ACADEM.
ET SOCIET. ADSRIPTVS ILL. ARN. PRORECTOR.


BVRGO - STEINFVRII,

Apud ARN. WELLENBERG, Arn. Typ.

INTERIO

AD VIR

[Nter
rectae
que per
trouersiae
BERTINO
bus flocci
debantur.



DE

OPTIMO

EX

INTERIORE HVMANAE NATVRAE SCIENTIA
DEDVCTO

I N F A N T E S

AD VIRTVTEM ET FELICITATEM EDVCANDI

M O D O.

INter naturalem hominis instinctum et
rectae rationis dictamina bellum vehemens illud-
que perpetuum intercedere, id vero extra omnem
controuersiae aleam collocatum esse, arbitror. Namque
LIBERTINORVM obiectiunculae, quas cum sapien-
tioribus flocci facere, e re mea esse puto, hic me non
morabuntur. Frustra scilicet est, quod meliora animus

A 2

ple-

plenissime perspiciat, plenissime etiam approbet, dum
 deteriora sequitur tantum non semper. Ratio ad bene
 agendum quam diligentissime nos inuitat. At alia vero
 vis ad male agendum nos cogit. Cogit, inquam. Nam
 maiore haec deterior vis vigore praestat. Quotquot bo-
 ni vnaquam fuere, falli omnes hoc sunt et conquesti.
 Nullae iustiores querelae. Sed querelis non sanantur mor-
 bosa corpora. In his potius corporibus medicina iuxta
 cum morbo tollit querelas. Animi vitia perinde non que-
 relae euellunt. Sed his aegri animi querelis mederi alla-
 borat moralis doctrina.

Diuinam hanc profecto scientiam, sicut olim, ita
 nostris potissimum temporibus mirum quantum coli, et
 noui idem et valde laudo. At quo, te obsecro, cum
 successu? Multo quam olim homines nostri, fateor,
 perspicaciores sunt elegantioresque: elegantes adeo, vt
 ipsas gladiatorum affabre auratas damascenaque arte pictas
 laminas moscho nunc et ambra ad suauem odorem tingi
 sentias.

Elegantius, si ita placet, sed nihilo minus, nunc
 vulnera insiguntur. Similiter etiam nostrae magis auctae
 politaeque scientiae non tam adiungendis virtutibus, quam
 ornandis nostris sceleribus inseruiunt. Morum ista do-
 ctina speculi nobis vice fungitur. Pravam in eo imagi-
 nem nostram conspiciamus: damnosa nos alio irritamen-
 ta alliciunt: vertimus faciem: memores nostrae mise-
 riae, sed dulci irritamentorum illorum veneno inescati
 eandem miseriam nouis, ecce! sceleribus maectamus.

Namque morale istud speculum haec solum nobis
 com-

comoda lar
 am natur
 secundo al
 tem natur
 nem, ra
 ergo tertio
 ad non om
 nes omnino

Non ma
 deprauat
 sanatum
 Nam eum
 miam dete
 nem persp
 em volun
 nem effi
 DAN
 standere qu
 errandi o
 rum.

Duplici
 Gallor, ha
 a bono
 rum rati
 loqui soler
 exegant, f
 singularem
 am Qua

Deinde et

5
commoda largitur: primo videlicet male comparatam no-
stram naturam esse, satis inde superque cognoscimus.
Secundo aliquam etiam mali nostri, seu instinctus illius,
quem naturalem modo vocabam, originem, sed non
omnem, radices aliquas, sed non omnes commonstrat.
Ergo tertio eius quoque ope quaedam equidem remedia,
sed non omnia nobis innotescunt, non tot, quot ad o-
mnes omnino radices funditus exstirpandas opus habemus.

Non male equidem toto die philosophi vociferan-
tur, deprauatum animae intellectum esse, hunc ideo
sanari sanatumque roborari debere. Non male, inquam.
Verum enim vero quando in corrupto hoc intellectu
primum deterioris nostrae conditionis omnemque adeo
fontem perspicere, et ope emendandi intellectus totam
dein voluntatem nostram totumque adeo meliorem ho-
minem efficere autumant; puto, illos magno cum appa-
ratu DANALDVM doliis aquam claramque suam sapientiam
infundere quantocius effluxuram, modo exigua quaecum-
que errandi occasio accedat. Totus homo plenus est ri-
marum.

Duplici scilicet nomine optimi hi viri magnopere,
ni fallor, hallucinantur. Primo quod illam a vero ad erro-
rem, a bono ad malum propensionem nostram pro solo
tantum rationis quodam defectu, pro *notione* quadam,
vt loqui solent, *negatiua* habere videantur, neque satis
hoc urgeant, funestam hanc propensionem veram aliquam
et singularem in nobis vim seu *positiuam notionem* esse,
esse eam *Φυσικον τι*

Deinde et in eo dici vix potest, quantum a vero

ab

❁ ❁ ❁ ❁

abluant, quod ita rem suam instituant, quasi illis non cum hominibus, sed cum puris saltem animabus, cum nudis spiritibus agendum foret. Atqui homines sumus. Animae sumus, sed corporibus sumus inclusae animae.

Veluti Epicuri enim collegia, quae frequentia nostro aevo sunt, pessime in eo errant, quod animae prorsus incuriosa suo quidem corpori nimium tribuant: ita philosophorum non minor, licet oppositus, hic error est, quod ad solius mentis regimen animum adiciant, corporis sui fere obliti. Vtrobique scilicet nimis diuisim de corpore et anima agitur.

Vera igitur illa demum humanae naturae cognitio dici potest, quae et animae indolem et indolem corporis curiose scrutatur et vtrique aequa cum industria operam nauat. Aliter comparata si fuerit scientia nostra, si soli animae intenta fuerit, manca semper erit et non satis utilis.

Anima enim nostra nec sola, nec sibi soli subsistit: sed mediante potius suo corpore cum multis magnisque huius vniuersi partibus connexa vti illas saepe mutat, ita et ab illis continuo et vehementer mutatur.

Habet ergo corpus humanum, si illud in genere ad examinis lancem exigatur, catenae instar, qua anima huic mundo tam artificiose alligata est, vt et pars huius mundi esse, et cum illo connecti, et mundus porro in animam agere, et anima denique agere rursus in mundum possit.

Par-

Partite vero si humanum corpus intuearis, tum quinque illa sensuum organa sunt totidem veluti specula, in quibus rerum extra nos positarum imagines admirabili cum arte depinguntur. Hae picturae in eam cerebri partem, cum qua quinque illa organa mediate per nervos et anima etiam ipsa, fortassis immediate et proxime, saltem arctissime iuncta est, reflexae in animam ultimo influunt, idearumque tum nomen fortiuntur.

Ergo quinque sensuum organa sunt instrumenta illa, per quae res mundanae in animam nostram vim suam exercent.

Idae istae vel placent animae nostrae, vel illi displicent: adiaphorae enim ad ipsum beate vivere suapte natura nullius sunt efficaciae. Ideoque illas res, unde ideae illae profluxerunt, nunc anima nostra appetit, nunc illas repudiat utcumque.

Quocirca inuerso iam ordine primum cerebro, deinde nervis ex illo progerminantibus, postremo artubus, qui nostro nutui subsunt, anima motus imprimit, qui ideis istis perfecte respondentes ad obiecta haec vel allicienda vel auerruncanda faciunt.

Ergo membra, seu artus humani corporis sunt illa instrumenta, quibus anima in omnes, quas attingit, mundi partes vim suam exserit.

Seu vt breuius et clarius haec enuntiem: sensus est illa qualitas, qua mundus in animam, motus est illa qualitas, qua anima in mundum agere potest. Vtraque ve-



ro dos admirabili illi, quam *animalem* vocare oportet, *facultati* debetur, cuius vna cum cerebro participes nervi facti sunt.

Haec facultas motus omnes, quos a rebus externis patitur, sine mora in sensationes mutat, hasque sensationes confestim animae adfundit. Ex illis quantocius anima ideas primum efformat, sensationibus convenientes. Dein ideis his nunc desiderium associat, nunc auersationem; prouti earum quippe indoles id exigit. Vltimo auersatio ista, istud desiderium quamprimum cerebrum nervosque, ut ita loquar, alluunt, facultas illa animalis motus membrorum inde elicit desiderio vet auersationi isti adaptatos.

Quamobrem in sensu non minus, quam in motu totum postremo negotium ad *cerebrum* et *nervos* redit, quae communi *systematis nervosi* nomine insignire lubet: animaque adeo non alias rerum sensilium ideas recipere potest, quam quales systema hoc illi transmittit; nec alias potest mutationes producere, quam quae rursus in illud systema quadrant.

Quod si nunc cogitas, ingenium hominis ex eius actionibus cognosci; actiones has absolui per membra; membra per nervos moveri; nervos impelli a cerebro; cerebrum incitari ab animae sententia; sententiam defini per ideas; ideas ad animam ex cerebro proficisci; cerebrum a nervis organorum sensuum mutari; organa vero sensuum affici a rebus extra hominem constitutis: meridiana tunc luce clarius tibi constabit, naturale ho-

it ingeniu
s externis
rsque eo
ultione v
s mutatio
a etiam p
Nimirum
ne anima
cogitation
ta quadam
hic system
ne velit n
Quandoc
entibus m
mentis qu
a fieri po
Periultren
tem primo
m denique
e. valentem
nc, nunc
m ille hom
ebis, ab e
coribus, diu
Veluti iuu
tam poti
eodem illa
ve eadem

minis ingenium neque ab animae iussu, neque ab obiectis externis, sed vel imprimis a systematis neruosi indole vsque eo pendere, vt pro huius diuersa natura et conditione vnum idemque obiectum toto coelo discrepantes mutationes quum in humano corpore, tum in anima etiam producat.

Nimirum hominem eo modo Deus condidit, vt, donec anima cum corpore iuncta subsistit, prorsus nullas illa cogitationes formare possit, nisi systema neruosum certa quadam ratione cooperetur: vsque adeo, vt, prout hoc systema se habet, in anima hae et non aliae ideae, velit nolit, exsurgant.

Quandoquidem vero hoc effatum magno vsui in sequentibus mihi futurum est, aequum sane est, vt illud argumentis quibusdam muniam, ad cuiusuis captum, quantum fieri potest, compositis.

Perlustramus vnum eundemque hominem; sed infantem primo, dehinc puerum, virum porro, deponatam denique et decrepitem senem, eumque nunc egregie valentem, nunc morbis implicatum, somniantem nunc, nunc mutilum, nunc vino madidum. Profecto idem ille homo pro vicissitudine sui corporis ab eisdem obiectis, ab eisdem crepundiis, ab eisdem voluptatibus, honoribus, diuitiis diuersimode afficitur.

Veluti iuuenile corpus voluptatibus, ita virile illud dignitatum potius amore trahitur, quas omnes ignorabat eadem illa anima in infantili corpore constituta, quasque eadem in senili rursus corpore vt plurimum vi-

lipendet; in corpore autem certa ratione morboſo ſaepe odio habet. Eadem eſt anima, eadem obiecta, eadem irritamenta. Solum vero corpus adeo immutatum eſt, ut idem amplius dici non poſſit; quum quoad omnes illas partes, quibus vitam medici tribuimus, vniuerſa animalia corpora poſt certam annorum ſeriem proſus alia ſint, prioribus partibus ſucceſſiue excuſſis et per alias partes inſtauratis.

In morborum vero hitoriis multo adhuc euidentius id apparet. Nolo nunc altius repetere, quomodo maxima ſaepe numero ad improbitatem inclinatio adeo phyſicum quid ſit, ut crudelitatem non raro, auaritiam, vindictae cupidinem ab aera bile, voluptatem a ſanguine vel nimis impetuoſo, vel ab eius etiam acore quodam, ſuperbiam et vanitatem ab aliis humorum vitiis, nunquam non in neruorum ſyſtema redundantibus, emanare, vitioſisque illis humoribus, ſi fieri poſſit, uti ſaepe poſteſt, partim eductis, partim correctis, variatoque fibrarum tono, plene ſanari, tam certum ſit, quam quod certiffimum. Vnde **ARETAEUS CAPPADOX**, ſapientiffimus imprimis et prudentiffimus auctor, rectiffime vnus omnium monet, non ſolum ex affectibus morbos, ſed etiam ex morbis naſci affectus. Sed filum iſtud hic abrumpamus. Cogita potius, ſyſtematis neruoſi indolem a ſanguine aliisque ſuccis nimis ſpiſſis et acribus, vel per alias quoque cauſas ita mutari, ut aliquis ex morbis, qui ſplenetici, hypochondriaci, melancholici, maniaci vocantur, neruis incubare incipiat: bone Deus! quam tota animae facies ad vſque miraculum alia ſit! Eadem res gratas olim iam Vatiniano quodam
odi-

odio prosequitur. Immoderato gaudio, metu, sollicitudine, ira, cupiditate, honore aliisque affectibus iisque omnibus praeter viam, perfunditur. Videatis eiusmodi maniacum cogitare vnice qualia non sentit, et qualia vnice sentit non cogitare. Connectio inter animam et cerebrum eius facta adhuc est tecta. Connexio inter mundum et organa quinque sensoria, forte etiam inter haec et nervos eorum, salua itidem subsistit. Sed nexus inter cerebrum et hos nervos cessat; non vterius in se mutuo agunt. Igitur nec anima tum cohaeret cum organis sensuum, ideoque nec cum mundo. Cerebrum illi vicem mundi gerit. Sed cerebrum hoc nunc aegrum est, et vel penitus immobile, vel insanis saepe tumultibus agitatum. Atqui similis nunc quoque cogitationum confusio est.

Ergo mentis nostrae ideas cerebrum definit. Animae igitur respectu res eodem redit, vtrum obiecta quaedam externa adsint, nec ne; num hoc modo sint comparata, an alio, satis est, si modo cerebrum agat: quo agente anima obiecta non aliter sibi cogitat, quam si talia actu adforent.

Namque in naturali rerum serie ponuntur primum obiecta externa, deinde organa sensuum, tum nervi, porro cerebrum, postremo anima. Haec obiecta externa vltimum veluti anulum constituunt in catena humana; constituunt infimum quasi gradum in scala illa microcosmica. Ab horum obiectorum impulsu tota illa series vt plurimum commouetur; igitur et anima, quae tum cogitat. Itaque non obiecta externa, sed solum

cerebrum immediate cum anima coniungitur; quapropter et solum cerebrum proximam causam cogitationum nostrarum in se habet.

Eandem quoque rem insomnia tibi patefaciunt. Quod si enim inordinato cum fluxu humores cerebrum commoueant, tum anima easdem omnino ideas a suo cerebro recipit, quas etiam reciperet, si ab obiectis praesentibus tota illa catena moueretur. Cerebrum tum vigilat, organa vero quinque sensuum eorumque nerui, tum et nerui, qui artuum motibus prospiciunt, dormiunt. Si enim et hi mouentes nerui, voluntarios vocant, pro parte vigilent, tum homo motus perficit, qui ideis istis, qui illi infomnio respondent. Si quando autem longe maxima pars horum voluntariorum neruorum vigilet, tum *noctambulonem* habes. Soli denique mouentes nerui si dormiant, tum *epihaltem*, seu *incubum* adesse, dicendum est.

Simile quid nec sine afflicto animo, in illis animaduertere est, quibus brachium pedemue rescindere iussit nuperorum praeliorum frequentia. Hi enim amputato v. gr. brachio multis adhuc mensibus horrendos, nunc lancinantes, nunc punctorios dolores, nunc in digitis, nunc in pollice, nunc in manu, nunc in cubito, quae partes tamen omnes dudum amputatae fuerant, conquerruntur. Anima tam viuide hos dolores et tam clare cogitat, quasi amputatae istae partes cum pristino suo corpore adhuc cohaerent et ab instrumentis pungentibus et lancinantibus vere laederentur. Ora enim reciforum neruorum vicinis vasis non aequabiliter accreta et per
hanc

hanc causam nonnunquam eodem modo conuulsa, quo conuelli, brachio adhucdum adnato, ab instrumentis illis chirurgicis poterant, simili quoque ratione cerebrum mouent.

Vinum largius haustum non in animam, sed in solum corpus se penetrat. Nihilominus solius haec corporis mutatio totam pariter animam omnesque eius facultates inuoluit, ingenii acumen auget, tranquillitatem animo conciliat, spem promouet, metum sedat, gaudium elicit, iram accendit, pigritiam proffigat, voluptatem commendat, inuisos homines amicos, amicos reddit inuisos, et quae plures sunt admirabiles IACHI virtutes. Vinum non nisi animale illam, quam ita vocauimus, cerebri neruorumque facultatem auget. Obiecta quocumque externa non inde alia fiunt. Et tamen ideae, quas anima sibi de his obiectis conficit, totae nunc aliae sunt.

Nec dispari modo sub perfectissima corporis sui sanitate anima se habet. Eiusmodi sanitas humano corpori tum tribuitur, si omnibus suis muneribus sine vlllo, vel minimo obstaculo fungatur: hoc est, si debito robore et mobilitate, tonum vocant, fibrae omnes vigeant, si vitalia omnia animaliaque vasa satis patula sint, et si humores denique omnes motu expedito prouehantur: breuius si liberrima solidorum oscillatio et liberrimus humorum fluxus omnino consentiant. Quoties hanc corporis conditionem ponas, ecce tibi beatam ad tempus animam, quae non solum secum ipsa et cum aliis rebus contenta est, sed cui adhaec vniuersus nunc

mundus arridet, quaeque ipsa omnino sibi placet, cuique obiecta quaecunque externa cum gratia cogitantur. Tum anima et sibi et cuius mortalium bene vult; neque ex illis rebus, ex illis hominum actionibus, quas noxias sibi esse probe intelligit, moerorem vllum concipit, amicae potius commiserationi, quam hostili odio ambas manus porrigens. Perfecta tali sanitate licet plerique mortalium saepissime gaudeant; rarissime tamen diu illa durat. Illa vero abeunte, quantocius omnium rerum facies, quasi mutata esset, atqui mutata non est, longe aliter nobis videtur. Nec sol nobis tam gratum ridet, nec verna dies; et gravem nostram sortem dolemus, et diuinae prouidentiae obloquimur, et odia recurrunt, et vindictae cupidines, et moerores, et inuidiae, et sexcentae aliae, quae hominem furiae exeruciant.

Pauca haec, nam pluribus, quae adsunt, documentis supersedeo, ad primam hanc propositionem nos ducant:

Animae indoles corporis sui statui naturaliter ita morem gerit, ut id, quod animae vel arridet, vel displicet, neque ab arbitrio animae, neque ab ingenio obiectorum, sed verius id a systematis neruosi, seu ipsius humani corporis natura vel maxime pendere, censendum sit.

Non disquiram nunc, quo iure naturalium rerum quidam scriptores elasticam aliquam vim neruis vindicare annuntur. Satis hoc loco est, quod nerui illam cum aliis elasticis corporibus facultatem communem habeant

beant, qua per insitam propriamque vim in naturalem suum statum quantocius redire tentant, quamprimum alia nempe potestas, per quam a naturali sua conditione abacti fuerant, prorsus remittit: nisi ultra summum, quod vocant, elasticitatis punctum protracti fuerint.

Omnia horum elaterum peculiaris praeterea dos est, quod satius illis sit, si ad alium saepius aliumque statum, cum aliquo tamen temperamento, promouentur; quodque e contrario haud exiguum sui vigoris et elasticitatis iacturam faciant, si diutius in eodem statu contineantur.

Ad eam profecto normam totum nervosum systema elaboratum est. Quo fit, ut, si illud quum in sensu tum in motu aliquamdiu sine vicissitudine subsistat; si oculorum aciem idem diu obiectum perstringat; si eadem semper chorda auribus resonet; si eadem res absque grata motuum varietate tria reliqua sensuum organa contingat; si caput, si digitus, si brachium, si pes et quaecunque denique membra diu in eadem tensione, in eodem motu vel in eadem quiete perdurent; tum in corpore nunquam non difficilis aliquis sensus, saepe etiam dolor, interdum etiam maiora alia mala, insigne vero taedium semper in anima excitetur.

Cogitationibus seu actionibus animae internis, quamdiu illa corpori suo inhaeret, eandem datam legem esse,prehendimus. Etenim omnis cogitatio, quae neque in multas partiales notiones resolubilis, neque plurimis

fociis seu agnatis cogitationibus diues est, si mentem longo tempore exerceat, et corpus grauat et animam.

Vnde si duos homines consideres liberalium artium studiis pari cum indultria incumbentes, quorum iste vnum idemque disciplinae genus cum animo suo cogitat; hic vero ideas, quantum pote, varias, atque adeo diuersa etiam scientiarum genera tractat; hunc et animo valentem deprehendes et corpore; istum vero minus plerumque alacrem videbis, et morosum, et aegra saepe membra trahentem.

Quo et euenire solet, vt illi tandem in atrae bilis aliosque chronicos morbos incidant, qui cum vno aliquo animi pathemate, cum odio, vel amore, inuidiaue aut vindictae cupidine diu luctantur. Dum illi e contrario, qui aliis semper aliisque pathematibus nudum latus exhibent, quod proprium quasi stultorum et naturale artificium est, athleticè et ex voto valent.

Est igitur hoc ex natura humani corporis, quod omni conatu ad mutationes tendat. Atqui vnica modo ad veram virtutem regia via est, vnicum verum, vnicum perfectum bonum.

Tametsi enim alia semper aliaque agendo optimus quisque procedit, omnium tamen harum actionum vnica esse meta debet, vnum omnes systema constituere vnicamque debent perfectionis regulam sanctissime semper obseruare. Quemadmodum illud vnice poema, illa pictura, illud aedificium homini cordato placere possunt, quae

quae ex variis partibus ita componuntur, vt omnia probe cohaereant, vt nihil hiuicuum sit, nihil male ordinatum, nihil superfluum; vt omnia denique non ad plures, sed vnum aliquem principem finem pertingant, omniaque inter se mutuo conspirent: ita illa demum vera virtus est, quae actiones omnes, quantumuis varias, ad vnicum eumque optimum scopum disponit. Huic scopo anima semper sit intenta. Id dicat educatio quaeuis bona, id ratio iubet. Incauum. Reluctatur corpus, quod varietati anxie inhiat.

Quapropter alteram hanc veritatem bene cum animo cogitare te velim:

Secundum communem naturae ductum et corporis et animae male est, si neruorum systema eodem modo diutius se habet: totique rursus homini ad tempus bene consulitur, si systematis illius munia saepe variantur.

Quotidiana experientia demonstrat, quod infantes prae adultis, foeminae prae maribus, sanguinei prae phlegmaticis, prae sobriis ebrii, hypochondriaci prae sanis, vt alios silentii peplo inuoluam, animalem illam systematis neruosi facultatem eminenti quodam gradu perfentiscant.

Sed vero infantum anima quam non neruorum et cerebri iugo subest? Quodcunque eorum sensibus inuisum apparet vel iucundum, id confestim tam vehementes in vniuerso neruorum systemate motiones ciet, vt vniuerso id eorum anima summaque cum impatientia vel

appetere cogatur vel auerfari. Foeminarum praeterea nervosum systema sensu gaudet tam acuto, tantaque mobilitate viget, vt et illae ex obiectis, ad quae viri vix ac ne vix quidem attendunt, aut attendere saltem non deberent, tam viuidas ideas hauriant, quae nunc odia, nunc desideria immoderatissima post se trahunt. Quapropter et foeminae et infantes instinctui suo naturali difficillime resistunt. Dolent, tristantur, ingemiscunt, in lacrimas eunt, in furorem saepe excandescunt rabiemque, nisi potiantur optatis, aut ab inuisis rebus liberentur.

Sanguineorum systema nervosum, nec non et illud ebriorum, tum et pro parte eorum, qui hypochondriacam vitam viuunt, eximia non minus sensibilitate praeditum esse, constat. Quocirca et eorum anima odii saepenumero et cupiditatibus implicatur, quibus omnem aliquando rationem frustra opponunt.

Sanguineum hominem centum ineptiae commouent, quas melancholici temperamenti homo vel alto supercilio spernit, vel plane non animaduertit, phlegmaticus vero profus non sentit. Is a minima etiam astuti hominis comitate ad amicitiam sine mora transiit, ob minimam pariter iniuriam ad inimicitiam pronus.

Non maioris saepe pretii et aequae leuidensia sunt, quae ebrium hominem concitant. Is vt laetetur, vt speret, vt amet, vt tristitiam, vt odium iramque concipiat, non ingenti certe molimine opus est.

Hypo-

Hypoch
sola, here
aque tam
pe, ver
inquam
rectam est
ppore nihil
ne non mi
falsa esse

Hypoch
ngatum,
gnorum q
r pede se
hili facien
ia, quae
illimo TH
bile ni
TMMACH
illet, ingent
pponebatur
pur esse v
itium mini
spicienti
e quiuerit
uit aeger e
male se h
PIDIO m
numm obi
et cum
is, quam

Hypochondriacum porro nonnunquam audias febri-
culosa, hercle! tibi deliramenta commemorantem, eo-
demque tamen halitu scitissime ea refutantem. Nouit
saepe, vera non esse, quae falso imaginatur. Nouit
id, inquam, eius anima. Sed ita neruorum systema
directum est, vt, quamuis id anima probe nouerit, a
corpore nihilominus cogatur, ea sine dubio imaginari,
quae non minus sensuum, quam rationis ope sine du-
bio falsa esse, perspicit.

Hypochondriaci nempe cerebrum, iam nimio mo-
tu agitatum, iam plus, quam aequum est, immobile,
organorum quinque sensilium impulsus non pressio sem-
per pede sequitur. Sed nunc ad haec obiecta, quae
nihil facienda erant, violentissime concitatur; mox ad
alia, quae maioris momenti sunt, fere dormitat. Illu-
strissimo THEODORICI OSTROGOTHORVM regis, ex
atra bile nimis suspiciosi, exemplo. Illi posteaquam
SYMMACHVM, optimum virum, male occidendum cu-
rasset, ingentis forte piscis caput, quod inter coenandum
apponebatur, SYMMACHI illius, nuper a se occisi,
caput esse videbatur, exsertis dentibus toruisque oculis
exitium minitantis. Licet enim enormis huius erroris
perspicientia neque visum, neque intellectum eius fal-
lere quiuerit; domare tamen fatalem hanc ideam non
potuit aeger ex aegro cerebro animus. Sine mora quip-
pe male se habens, diramque huius ideae violentiam
ELPIDIO medico conquestus paulo post diem suum
supremum obiit: princeps ceteroquin magnarum virtu-
tum, et cum SIDONIO APOLLINARI potius lau-
dandus, quam vituperandus cum aliis.

Quamvis vero in omnibus hominibus animalis neruosi systematis facultas non tantam, neque toties tyrannidem suam exercent, tyrannidem tamen affectat in omnibus. Haec illa est, cuius diuinus SERVATOR meminit, inter spiritum utcumque promptum et corpus lucta; quod quidem corpus pro discipulorum captu, tum ex praesenti etiam usu carnem vocat.

Cum inferioribus facultatibus superiores animae vires rarissime consentiunt. Concludendum inde tertium hoc theorema:

Neruosum systema non modo animam ad cupiditates trahit, quae in huius systematis affectiones quadrant: verum anima etiam toties, quoties in eo est, ut hanc sui corporis instigationem superet, difficultatem semper aliquam, maiorem hic, illic minorem experitur.

Vt vero in nostros vsus magis adhuc perspicuum fiat, quanta neruosi systematis in animam nostram potestas sit, paucis saltem in animi affectuum ingenium inquiram.

Prouti primum organa quinque sensuum, dein cerebrum quoque vehementer aut leniter, ingrate aut suaviter afficiuntur; ita in anima vel violentae, vel mitiores eaque vel amoenae, vel inuisae ideae exsurgunt. Nisi in primo earum exordio quantocius mens eiusmodi cogitationibus aduersetur, sed illis potius inhaerens fraudulentis earum illecebris, quod momento citius fit, illa-

...queetur
...merque in
...ama, et
...antum c

...Noi h
...cultus noua
...ae prima
...adiungu
...singulis
...ut cerebr
...in hon

...Donec
...sima affect
...saeuo cur
...tius inclu
...recordia;
...erum habi
...pedes con
...trux tor
...llet, et e
...iam in
...quaeque
...ataz.

...Omnium
...per turbu
...osius ci
...neruo
...nem vel p

flaqueetur; ideae istae cogitando vires acquirunt, violenterque in cerebrum reperiuntur totum neruorum systema, et per hoc totum humanum corpus immane quantum concutiunt.

Noui hi semper nouique neruorum et cerebri tumultus nouas quoque semper socias ideas ideae principi, quae prima nempe insolentem ludum hunc ludere coepit, adiungunt. Quae princeps idea magis inde magisque singulis momentis adaucta ad maiores quoque motus et cerebri et neruorum fibras stimulat. En! tibi aliquam in homine fluxus et refluxus imaginem.

Donec tumultuosae hae motiones pergunt, patitur anima affectus; corpus autem pro varia affectuum indole saeuo cum impetu sanguineum laticem nunc in corde arctius includit et difficilem spiritum anxiaeque reddit praecordia; nunc eum velocissime e cordis regione in exterum habitum effundit. Et lacrimae propullulant, et pedes conquatuntur, et totum corpus contremiscit, et trux toruaque facies rubet furibundum, vel squalida pallet, et ex imo pectore iam grauia eluctantur suspiria, iam in intolerabilem risum prorumpit exaestuans aer, quaeque plura alia diuersorum affectuum sunt symptomata.

Omnium videlicet affectuum illud est ingenium, quod per turbulenti cerebri causam humores omnes vel impetuosius circumagant, vel sequirem faciant eorum fluxum; neruosi itidem systematis mouendi sentiendique facultatem vel promoueant, vel sistant; violenter vtrumque

que et cum insigni functionum et naturalium et animalium confusione.

Lacrimabile hoc intestinum bellum, violentam hanc nervorum spasticamque agitationem diu perferre humana natura nequit. Et ratio interim et experientia certiores nos faciunt, componi non aliter hoc bellum posse; nisi vel vnus maior, pluresue minores contrarii affectus eliciantur, quo quidem modo oppositae duorum affectuum vires se mutuo atterunt; vel si affectui ita satisfiat, vt cupita re anima ex voto pleneque potiatur; aut quam rem odio habet, eam tollere e medio omnem queat. Nam rationis imperium, si eousque malum aduultum est, nimis profecto impotens vsque quaque deprehenditur.

Quandoquidem autem contrarii affectus prouocatio non semper, nec nisi vel forte fortuna, vel a magno animo obtineri potest; hinc vulgo fit, vt homo mechanica, vel, si mauis, automatica cum quadam necessitate ad affectum suum explendum feratur. Qui quamprimum expletus est, omnes istae idearum cohortes in desideratae rei vsu, aut in rei inuisae interitu consumptae simul et semel disparent: insimulque cerebrum vna cum nervis collabascit, et in praecedentis illius spasmi locum debilitas ingruit, taediosa plerumque haec, nec spasmo illo quicquam minor. Atque haec relaxatio nervosi systematis animaeque inanitas, si non nimiae, *susietatis*, si vero maioris momenti sint, *poenitentiae* nomine dicuntur.

Quod

Quod si nunc iucundas illas omnes ingratasque cogitationes, quae in hoc terrenarum rerum nexu animam creberrime concutunt, curate pensites; apparebit sane, ab illis hominem ad odium, invidiam, iram, sollicitudinem, commiserationem, ad diuitiarum, ad gloriae, ad voluptatum amorem inuitari. Atqui sunt haec totidem, eaque potentissima plerumque verae virtutis impedimenta. Vera quippe virtus tametsi non raro ad magna affectibusque plena facta hominem compellat; nihilominus dum anima has actiones decernit, et antequam earum periculum facit, distincte seu per saniora ratiocinia et pacate quicquid molitur, meditari debet.

Est nimirum inter vulgarem hominem, quem in praesentiarum depingo, et sapientem insignis haec disparitas, quod hic affectus non viles modo, sed et necessarios tum promoueat, quando sine affectu optatum finem attingere non datur; namque et ira, et odium, et amor, et indignatio, et misericordia iuxta cum reliquis affectibus in tempore excitatis magno vsui esse possunt: iste vero non sapienti cum animi sententia, neque consulto et prudenter illos cieat; sed ab illis verius, etiam contra voluntatem, subiugetur. Sapientis ergo hominis affectus eius voluntati morem gerere debent: insipientis vero hominis voluntas tota eius subest affectibus.

Pauca haec, quae extremis saltem labiis degustavi, ad quartam hanc conclusionem formandam facere mihi videntur:

In

In animi scilicet affectibus vehementem illam spasticamque nervosi systematis affectionem anima diu tolerare, nervorumque huic impetui satis fortiter se opponere nequit: sed per automaticam necessitatem eo fertur, ut affectui suo velificetur; quae quidem ratione graues illi nervorum tumultus paulatim breuique tempore subsidunt.

Quatuor hae veritates, quaeque ad clariorem earum intelligentiam hactenus praecise dicta sunt, ad perspiciendam eximiam illam potestatem, qua corpus humanum animam suam naturaliter dirigit, satis superque facere mihi videntur.

In hac potestate ille, quem supra commemoravi, naturalis instinctus vnice consistit. *Instinctus* igitur *naturalis*, illa est cerebri et nervorum sensilitas, qua et ideae in anima et in corpore motus ita determinantur, vt per horum motuum harumque idearum causam homo haec potius agat, quam quaecunque alia. Itaque idem hic est instinctus cum illa, quam sic vocavi, *animali facultate*.

Quamobrem dicendum est; naturalem instinctum veram et positivam quandam notionem esse, veram vim, veram et peculiarem quandam facultatem. Non ille ergo in rationis defectu consistit: sed diuersissimus a ratione ipsi adeo rationi fere semper est contrarius, eaque proh dolor! toto die maior. Is quam diu mere naturalis nulloque hactenus artificio subactus est, rationem nusquam pro norma habet.

Ideo

Ideoque illi, qui per eius solam causam bene vivere videntur, dantur enim homines, quorum totum nervorum systema ad motus valde ordinatos lenesque naturaliter inclinatur, ea propter non quidem male vivere dici possunt, a grauioribus nempe delictis omnibus immunes, veruntamen, quatenus procul illis adhuc sunt rationis lumina, eatenus nec moraliter boni vocari merentur.

Praeter istum instinctum, qui soli corpori insidet, alium adhuc homines instinctum sortiti sumus, soli animae nostrae infixum, aliena tamen qualicumque manu ductione indigentem, rationem videlicet rectam, quaeque eius veluti quasdam partes constituunt, sensum communem et conscientiam boni malique.

Hic rationalis instinctus licet plerumque a corporeo seu naturali illo debelletur, paucissimi tamen mortales nequitiae tam absolutae sunt, ut omnia denique rationis dictamina per naturalem instinctum opprimi patiantur. Vel sceleratissimus quisque in medio etiam flagitiorum decursu imperiosam istam vocem identidem persentiscit, qua ratio recta illud Veto illi acclamat. Quantumuis naturalis iste instinctus ad vindictae cupidinem, ad inuidiam, ad odium quem ducat, quibus coactus aliorum res egregie gestas neque sine indignatione ferre possit, neque laudare: frustra tamen annicitur, ut ne has res bene gestas tacite et approbet, et omni laude dignissimas iudicet et ratio eius recta, et veri conscientia, et sensus denique communis.

D

Vo-

Vocamus autem *rationem rectam* illam animae nostrae potestatem, qua distinctarum notionum nexum seu relationem illam, quam ad se mutuo habent, perspicit. Hi nexus si quando ab anima quidem cogitatur, notiones autem ipsae non omnino distinctae, sed confusae sunt, tum haec ratio *sensus communis* dici debet. Quod si vero ideae hae ad obligationum nostrarum cognitionem pertineant, tum earum intelligentia qualiscunque *conscientiae* nomine venit.

Vt haec interim se habeant; nimis exiles tamen rationis nostrae vires sunt, quam ut solo earum auxilio omnem naturalis instinctus impetum repellere possimus: ratio in plerisque mortalibus sapientissimus sine exercitu imperator est.

Nolo tamen eo sensu haec verba capi, ac si cum toto humano genere tam male comparatum esse, velim, ut non semper, nec vsquam terrarum meliores quaedam mentes emineant, quae actiones suas omnes totamque adeo naturalem instinctum ad rationis normam felicissime exigant. Quotquot ad hanc veram quidem illam et unicam humanam beatitatem peruenerunt, peruenerunt autem pauci, tria tantum omnes illi consilia cepere: de quibus breuissime idcirco differam, quia in illis triplex vis continetur, qua sola ad frenandum efferatum corporis tumultum ratio uti potest.

Habet nempe primo anima nobilissimam hanc potestatem, qua se ab omnibus obiectis externis, ab organibus suorum quinque sensuum, ab horum neruis, fortassis

ab ipsi
intra se
anima eoru
eminarum r
ex suo ad
mundi esse
opere velis
corpori res
am, ut id
numero ad
pfindas.

Vel si
naturali seu
potestatem
reddidit, ha
sibi adscisc
lundi, qua
cilitas, qua
tur, paulat
sophis n

Haec
rius, quan
inter anima
mercii inue
tum omni
sensissimam
teque viuen
reca modum
mutuo agun

sis ab ipso etiam suo cerebro ad tempus separare veluti et intra se ipsam colligere se queat. Id dum fit, nihil anima eorum, quae extra geruntur, experitur; sed externarum rerum omnium ignara suas ex se, forsan etiam ex suo adhuc cerebro, ideas efformat. Tum anima pars mundi esse desinit: imo nec hominis, nisi cerebrum excipere velis, ulterius pars est: sed sola sibi soli vivens corpori res suas sibi habere iubet. Non vnda sic vndam, ut ideae tum ideas trudent, incredibiliter saepe numero adaequatas, foecundas semper et sublimes et profundas.

Vel sine me monitore abunde intelligis, instinctu naturali seu corporeo maiorem tunc animam esse. Eam potestatem si anima frequenti exercitio familiarem sibi reddit, habitum postremo aliquem, aliquam facilitatem sibi adsciscit, corporis sui instinctum non adeo debellandi, quam eum verius effugiendi. Illa e contrario facilitas, qua olim anima instinctum sui corporis sequebatur, paulatim in desuetudinem venit. Abstrahendi a philosophis nostris adeo laudata facultas huc referri debet.

Haec potestas in quo proprie consistat, non plenius, quam omnia illa nouimus, quae ad commercium inter animam et corpus spectant. Cuius quidem commercii inuestigatio plurima male curiosa ingenia non parum omni tempore vexavit, ignara procul dubio, vel plenissimam huius quaestionis solutionem ad bene beateque viuendum minime necessariam, neque ipsum praererea modum, quo tot, quae palpamus, corpora in se mutuo agunt, omnino nobis perspectum esse. Non

caecis, colores sine tactu sciscitantibus, haec omnia melius nouimus.

Quod ad nostros vsus satis est; scimus humanis animabus additam hanc potestatem esse, qua se a corpore suo, itaque a toto etiam mundo seiungere potest. At quam pauci mortalium hac vi recte uti norunt? Haec sunt scilicet, si quae aliae, potentissimae animae, omnium grandium et salutarium experimentorum summi artifices, veri in omni re heroes.

Tali mentis vigore ARCHIMEDES pollebat, vir in omni geometria ante alios admirabili subtilitate. Is dum in puluere quaedam attentus describit, tam longe a reliquo vniuerso mundo eius anima secesserat, ut ne patriam quidem captam esse, senserit.

Quam ad literarum disciplinam diuinus ARCHIMEDES, eandem animae vim ad virtutum studia diuinius adhibuit EPICLETUS; qui, quum crus illi frangeretur, in alieno veluti corpore philosophabatur, ut GREGORIUS NAZIANZENSIS scitissime obseruat, citiusque crus perfractum esse visum est, quam ipse doloris violentiam perferens.

Similem imo et maiorem animi dotem tot tamque admirabiles quum in prima, tum in sequentibus etiam ecclesiis martyres abunde probatam dederunt.

Nulla vero gens hanc animae facultatem tanti fecit, eamque omni tempore adeo exercuit, quam quidem

em ARAF
latua et

Nec
rocari vol
e ipsa coe
arum fere
e mentis
gebant de
ocul ab h
miam ho

Colligat
Ani
et sola
externis
ficiatur.

Insignis
quod in pa
requis de
el quorum
et nunc m
od de tot
naturae
bit, refra
e probos
tuncque e

Ne iam

dem ARABES: quorum illa adeo concelebrata vita speculatiua et solitaria hoc praesertim exercitio absoluebatur.

Nec dispari modo illi inter nos, qui mysticos se vocari volunt, aut molinistas, omnem suam animam in se ipsa coercent, terrestrium rerum omnium perosi: primorum fere monachorum exemplo, qui praeterea, ut hac mentis proprietate tanto liberius frui daretur, loca eligebant deserta, et maritimas saepe insulas, in quibus procul ab hominum commercio semoti erant: ut alia similitum hominum bene multorum genera nunc taceam.

Colligamus inde primam hanc animae dotem:

Anima humana, si velit, eo potest peruenire, ut sola sibi cogitet, et a corporis sui mutationibus, externisque reliqui mundi obiectis ne quicquam afficiatur.

Insignis vero haec animae praestantia, praeterquam quod in paucos solum illos homines cadat, quibus vel aequus de meliore luto Iupiter praecordia formauit, vel quorum neruosum systema atra bile turget, difficulter nunc mobile: habet quoque hoc illa incommodi, quod de totius mundi complexu nos auellens sapientissimo naturae ordini, quae nos partes huius mundi esse voluit, refragetur. Solae nos probae cogitationes non vere probos reddunt, sed vel maxime agendum laborandumque est.

Ne iam late dicam, abstractam eiusmodi meditationem

❁ ❁ ❁ ❁

nem diu productam et repetitam saepius vniuersae corporis sanitati, quam vt quisque melior est, ita pessumdare minus potest, insigne detrimentum inferre.

Inter plures, quibus anima nostra laborat, defectus vnus etiam aliquis occurrit, quo merito gaudemus, quique excellentis doni vicem nobis gerit. Ille nimirum est, quod anima vno eodemque temporis momento plures simul ideas concipere non queat. Contraria enim sententia si quibusdam se commendat, id inde euenire puto, quod anima reuera modo vnam post aliam ideam, at tanta saepe cum rapiditate formet, vt, quae non nisi successiuae sunt, per tardioris calculi culpam iunctae simulque adesse videantur.

Quidquid sit, firmo experientiae talo haec ad minimum sententia consistit, quod plures ex diuersis ideis deriuatos idearum ordines, seu plura ratiocinia eodem tempore anima conficere non possit. Quamobrem eodem temporis momento, quo vnum aliquod negotium de integro tractamus, alia diuersa negotia totos nos occupare non possunt.

Atque hanc quidem impotentiam auro contra cariorum nobis esse debere, opinor. CICERONEM profecto dum videmus magna cum cura reipublicae salutem, vel exasciandis suis libellis inuigilare; nae illum eodem tempore anxiam inanem gloriae sollicitaque cogitatio, ad quam per instinctum naturali proximum uehebatur, nisi forte per interualla, lacescere non potest.

Quo

Quo fit, ut illi homines, qui multis magnisque laboribus distrahantur, non in tantam nequitiam prolabantur, ad quantam illos saepe abripi, dolemus, qui integros dies VACVNAE deae ignauam suam operam consecrant, vilissimi mortalium, numerus duntaxat et ad solas, quas non merentur, consumendas fruges nati. Eas contra, quas in reipublicae nostrumque emolumentum totas horas impendimus, foeda scelerum libido nequidquam sollicitat.

Amore non potentior datur animi affectus. At homo vere laboriosus et indutrius non amat. Contra milites, nautae et ditiores multi hinc adeo voluptarii sunt.

Eliciamus inde secundam hanc ex ordine observationem:

Facillimum nempe medium ad ideas illas, quas anima funestas sibi existimat, si non semper penitus profligandas, saepe tamen sistendas et eneruandas, in prudente utilium laborum selectu consistit.

Vtroque hoc modo id saltem boni nobis contingit, quod a malo, ab impietatis exercitio, a flagrante delicto arceamur. Verum enim vero perfecta maiorum criminum immunitas ipsam nondum probitatem complectitur. Ut male ne agas; vna quidem haec virtutis regula est, at non vnica. Sed multo maxime bene quoque agendum est, idque tam nostrum, quam aliorum hominum et DEI etiam respectu.

Ad hanc bene agendi facultatem prudens, nec ra-

ra affectuum animi promotio magno nobis vsui est. Quamuis enim vulgarium affectuum potior causa animae minus, quam nervosi systematis sensibilitati debeatur; potest tamen nobilior anima per suam causam vna aliqua aut pluribus etiam ideis, quae magni momenti illi videntur, multisque aliis fociis ideis diuites sunt, ita se inebriare, vt et sine affectu cogitari nequeant, et ille porro affectus omnibus aliis extus ad eam tendentibus affectibus extinguendis par sit.

Cuiusmodi affectuum exercitatio si saepe instituitur, tandem vltimo totum nervosum systema ad hoc motuum genus vsque adeo se componit, vt ad alios motus non sine quadam difficultate transeat. Talis est de merito ob res praestanter actas cordatorum applausu dulcissima idea. Talis est terribilis vltoris DEI imago. Talis est beatissima futurae felicitatis et certa expectatio. Talis est ob res male agendas ingenuus iste pudor. Tales denique innumerae aliae cogitationes sunt, quas larga manu sanctissima CHRISTI religio nobis sufficit.

Hi affectus eo igitur nomine incredibiliter quantum proficui nobis sunt, quod non per ambages, sed breui manu alios absurdos affectus compescant. Affectu enim nihil citius affectum subigit.

Atque is etiam primus, si non princeps, piarum precum vsus mihi esse videtur; quod sancti, quos illae accendunt, affectus vana quaeuis irritamenta et affectus quoscumque alios enecent. Vnde preces sine affectu nomine suo indignissimas esse, censeo Non-

Nonne ridendi ea propter male docti illi philosophi sunt, qui, ex solis STOICORVM institutis sapientes, omnes omnino affectus ab imis radicibus euellendos esse, clamitant? ignari profecto, quantae efficaciae illud auxilium sit, quod in rebus agendis homo vere sapiens saepissime ab affectibus mutuatur. Misericordia, odium, ira, indignatio, verus verae laudis amor sunt totidem veluti armorum genera, quibus nunc pigritia, nunc damosa irritamenta certissime profligantur.

Multa etenim officia ope solius rationis rectae in hac rerum fragilitate et inter tot stultissimorum hominum difficiles nugae perfici non possunt, quae homini in tempore affectibus inflammato factu facilia sunt.

Notetur ergo palmarium in doctrina de animi affectibus et longe vtilissimum hoc principium: nimirum *illic tantum affectui locum assignare oportet, ubi sine affectu progredi non datur.* Vnde sua sponte altera haec lex consequitur: *non maiore videlicet affectu utendum esse, quam quo ad propositum finem obtinendum opus est;* ceteroquin non salutaris, sed immoderatus eiusmodi affectus dicendus est. Ex quibus tertii denique huius canonis necessitas perspicietur: *affectum omnem nempe a ratione recta debere excitari, dirigi, mensurari.*

Quare si homo vere sapiens rationem rectam dextram suam manum vocare mavult; nihil ego addubito, animi affectum sinistram eius manum dicere. Neutra harum virium commode priuari possumus, sed altera

E al.

altera indiget. Sine ratione aliquid moliri, stultorum hominum; sine affectu vero fortiter agere, non humanae, sed diuinae conditionis est. Sine affectu vindicem cherubum pinxit sublimis ADDISSONVS; nemo sanus sic hominem pingit. Sed de his forte alias plura.

Quod ad illam vero exercitationem attinet, qua per vtilem affectum, in tempore prouocatum damnosos alios affectus superamus; non ea, praesertim in homine per malam educationem nondum corrupto, difficilius apparere potest, quam illud quidem infelicissimum exercitium, quo tot malefani homines per affectum absurdum omnes reliquos vtilis affectus vincere didicere.

Talis est voluptatum, diuitiarum dignitatumque ardentissima cupido, qua tot terrestribus his glebis accretae animae tantopere adfuescunt, vt mille alia viuidissima quantumlibet obiecta ne vel minimum eas commoueant. Ducas talem hominem suauiore quodam verno die in collem, vbi et pascua, et riuuli, et valles, et syluae, et campi tot tamque variis pulcherrimis obiectis oculos nostros feriunt et ad creatoris tam adorandi cultum amica velut manu nos inuitant; et ecce! inter omnia haec furdus ille et coecus nil, nisi futilem suum affectum cum animo suo voluit.

Et hi quidem morales serui, vt vere dicuntur, tantum non totum humanum genus absoluunt, eoque sunt frequentiores, quo rariores illi deprehenduntur, qui mediante salutari affectu noxios omnes affectus subigendi

arte praestant; nobilissimi mortalium iique et felici timi, felices adeo, vt felicem prope et illum dixerim, qui vnum alterumue sanctiorem eiusmodi hominem bene nouerit, quales plures mihi quidem omnino perspecti sunt.

Salutares hi affectus, de quibus paulo adhuc differere, operae pretium est, duplici modo commoueri solent. Vel enim nos ipsi eos in nobis producimus, nunc per viuendam altioris rationis vim, nunc per indolem atrabile tincti corporis, nunc per exstantia aliorum exempla, per conscientiae stimulos, per inopiam aliasque causas adiuti: quibus quidem modis nati affectus violentissimi esse solent.

Vel incenduntur in nobis ex aliorum consilio, non nostra sponte, sed plerumque contra voluntatem nostram. Atque in hac arte maximum momentum educationis infantum versatur, in quibus nunc gaudium, nunc tristitia, nunc fiducia, nunc pudor, nunc ambitio, nunc metus, nunc amor, nunc indignatio per vices inflammarī debent.

Quid animi affectus a nobis ipsis concitati valeant, siue illi ambitionem, siue DEI timorem, aut aeternae salutis, aut plurium etiam aliarum rerum cupiditatem complectantur, id infinita documenta clarum faciunt. Praeter innumerabilia alia illustrissima exempla, vel solummodo FRANCISCVM ASSISIIVM, velim, intuearis, frequentis illius FRANCISCANORVM sectae auctorem. Namque in definienda naturali affectuum potestate nil

quidquam refert, siue illi a recta, siue a falsa ratione impelluntur.

Is igitur, quum in animum sibi induxisset, ad pietatem multo maxime facere, si quando aegros, qui in nosocomijs publicis curabantur, sua ope adiuuaret: taedium hoc umbraticae virtutis exercitium, mercenarium alias, magno animo orditur. Erat inter alios multo foedissimo quodam ulcere adeo deformis, ut et vilissimi quicumque serui propius ad eum accedere nollent. Huius ergo curam ASSISIVS sibi mandat, utque nauseam, quam maximam inde capiebat, ab ima stirpe omnem elideret; ecce tibi! et aegrum istum ASSISIVS amantissime amplectitur, et teterrimo ulceri os suum applicat, et horrifera illud pus patienter exfugit. Maximum scilicet et vulgo intolerabilem nauseae affectum alio maiore, quem ad religionem referebat, animi affectu vincens, naturalem suum corporeumque instinctum hac arte ex voto subigebat.

Nolo nunc de incredibilibus fere experimentis, quae in antiquatis religionibus tot olim visionarii, quaeque nostro adhuc aevo indorum BRAMINES eorumque FAQVIRII, ut domestica exempla taceam, similiter propemodum ad miraculum et perinde contra naturalem omnem instinctum capiunt, longe lateque dispicere: non alia profecto arte muniti, nisi quod vni alicui affectui, siue is DEI cuiuscunque timor, siue aerae popularis ambitio sit, indulgentes totum naturalem instinctum et iuxta cum illo affectus alios omnes suffocent. Infelix humanum genus, hic tam solers in rebus nihili, in maximi momenti rebus illic tam pigrum! Ali-

Aliena
ad cere
id ex f
detur. D
ad stup
torare, nu
erit digitis
irabilia volu
as non sec
mi discrim
hanc scilicet
te, per m
nem, per

Nescio
rum natur
quidem i
ortis genu
orio vel hil
aliosque e
lem, in q
tum publica
um, quae v
humanum g
olios inu

Quid au
vel prop
e eosque e
tanque vir

Aliena voluntas in infantum affectibus augendis iisque ad certum aliquem finem dirigendis quantum valeat, id ex funambulonum periculis abunde colligi posse, videtur. Deprehendes certe in eorum familia pueros, qui ad stuporem nostrum in altissimis funibus nunc se librare, nunc recti pendentes vno se pollice, nunc inuersi digitis alterutrius pedis se retinere, nunc per admirabilia volumina incredibilesque gyros vniuersum corpus, non secus ac si cereum esset, flectere, spretoque omni discrimine proque lubitu suo iactare didicerunt: ad hanc scilicet se rotandi artem per solos animi affectus, per metum, per laudis cupiditatem, per aemulationem, per praemia a patrefamilias efformati.

Nescio reuera, si hoc non sit, quid sit, instinctum naturalem mortisque adeo timorem subigere: quandoquidem ignari pueruli hi esse nequeunt, saeuum illos mortis genus manere, si in obseruando corporis aequilibrio vel hilum errauerint. Angustior, ni fallor, periculiosiorque est hic funambulonum callis, quam ille quidem, in quo pueros nostros ad vtilem quum priuatam, tum publicam virtutem duci velim. Et quanta praemiorum, quae vtrouique posita sunt, diuersitas! Infelix iterum humanum genus, vel ad putidum otium, vel ad periculosos inutilesque labores damnatum!

Quid autem futurum existimas, si eiusmodi affectus vel propria, vel aliena non illusa rectaque ratio eliciat eosque ex usu temperet, et ad veram sapientiam veramque virtutem inflectat? Tum equidem hi affe-

Etus, posteaquam repetito exercitio vniuersum neruorum systema et iuxta cum illo totum humanum corpus in consensum traxere, et sub animae, talibus affectibus adsuetae, imperium redigerunt, in virtutis amore conseruando tam pertinaces tamque immobiles redduntur, vt saeuissimi quicunque cruciatus viuidissimum hunc boni amorem frustra in tot martyribus extinguere, conati sint.

Et vsque adscendere sola ratio nequit nullo animi affectu sustentata, totque inimicitiis et blandientibus irritamentis, quibus exulceratissimis praesertim his temporibus nudum semper latus praebere cogitur, quotidie infracta.

Ex paucis his, namque plura, eaque profecto non minora sicco pede praetereunda esse duxi, tertiam hanc eamque praestantissimam virtutem satis superque elucescere, arbitror:

Potest anima humana ex liberrima voluntate per propriam imaginandi vim salutare quoslibet affectus suscitare, qui aliis omnibus nociuis affectibus domandis pares sunt.

Videri potest, adesse adhuc quartum auxilium, iure optimo a recta ratione sperandum; vere philosophicam nempe illam idearum cum quocunque demum affectu iunctarum analysin. Namque ideam quamcunque siue odiosam illam, siue gratam quamprimum ope huius analysios in notiones suas partiales diuidis, tum o-

mne

omne peruersum desiderium omneque iniquum odium ad tempus cessant. Nihil e. gr. hominem iuuenem pulchra facie potentius attrahit. Hanc vero tam pulchram cuticulam, iube, vt microscopii ope intueatur; tum ingrate squamosam eam et squalidam non absque nausea deprehendet. Etenim vitri talis ope notionem eam confusissimam clariorem reddit; notionem totalem in suas partes resoluit; quo facto omne peruersum desiderium cessat. Nec secus cum malo odio se res habet. Qui virtutis praecepta odio prosequuntur, quoties in distincta imagine illas propius perspiciunt; nihil diuina virtute amabilius et cogitant et fatentur.

Ergo distincta, seu vere rationalis, hoc est philosophica cognitio malis naturalis instinctus motibus omnino contraria est, eoque fortior, quo magis anima ad nexum distinctae talis notionis cum aliis aequae distinctis notionibus seu veritatibus attendit.

Verum utcunque certa haec theoria est, minoris tamen illa pretii fit, si quando illam ex ipso vsu metiri vis. Namque si eiusmodi grata aut ingrata idea reuera iam ab anima concepta est; ad vnum omnes iusto debiliores sumus neruosi que systematis impulsus nimis potens est, quam vt talem analysin instituere velimus.

Non dubito, fore plerosque, qui, quum vident, tantum in toto hoc alloquio me corporis potestati, reetae rationi vero tam parum vindicare, iniquum me harum rerum iudicem arbitrari sunt. Erunt procul dubio, qui dicent, frequentem tamen experientiam in
 ipsis

ipsis adeo iunioribus cumulate docere, ita bonae educationis ope rationem emendari, eiusque vim augeri posse, ut si non omnis, praecipuus tamen corporis instinctus naturalis sub iugum rationis reuocetur et obedientiae.

Et experientiam nemo me quidem, qui fidelissimam eam veritatum magistram expertus sum, maiore honore habere potest. Cautè vero cauendum, ne, ut saepe fit, ad experientiam ea referantur, quae reapse non experimur.

Id equidem experientia nobis commonstrat, multos iuvenes et virtuti innutritos esse, et sollicitè esse educatos, et ratione etiã egregia pollere. At vero quod tria haec phaenomena hoc modo inter se inuicem coniuncta sint, ut educationem pro remota, rationis vero augmentum pro proxima causa huius ad virtutem aptitudinis, tanquam effectus, habere oporteat, id equidem non experimur. Sed verius id ex eo, quod experimur concludendo de raum eruimus. Experientia ipsa nunquam nos fallit: sed conclusiones nostrae toto nos die in de-
via abducunt.

Posteaquam septem, vel octo, si ita vis, ista theore-
mata, quibus vtilissima humanae naturae scientia potissimum absoluitur, a nobis statuta fuere, faciliore nunc opera exponi posse puto, in quo proprie salutaris educationis cardo versatur. Quae brevis igitur historia quum robor antedictis addere, tum fundamenti loco illis, quae dein dicenda veniunt, substerni posse videtur.

Igi-

Igitur finge tibi cordatum aliquem patrem, namque tantum non vnice ad morales fictiones haec boni patris idea relegata est, qui filium suum tenerrimae adhuc aetatis verbaque nondum dimidiata tentantem, atque adeo nondum praua consuetudine corruptum, primo ad obedientiam in rebus minimi, postea vero ad omnem prorsus virtutem eformare, in animum sibi induxit. Pater, qui et animi consilio et viribus corporis praestat, puerum se debiliorem, ideoque vel plane non, vel frustra reluctantem, vt quotidie magis adolescit, ad bonas exercitationes adducit.

Idque dum fit, pater ad minima quaeuis attentus diligenter cauet, ne quinque eius sensuum organa a damnosis obiectis afficiantur, voluntariosque eius artuum motus intra iustos boni ordinis cancellos coerceat. Non quaelibet promiscue obiecta puero suo exponit, nec quoslibet illi sic temere permittit corporis motus, quadrantes videlicet in peruersam aliquam ideam, forte tamen fortuna natam. Etenim tam exiguum nihil est, quod infantes non persentiscant, qui ex minimis maxima saepe mala contrahunt. In hoc tramite quotidie pergitur: addit pater etiam rationes veras speciosasque, ex quibus honestam, vtilemque et blandam futuram virtutem esse puer intelligat. Has rationes puer equidem non inuerso pollice reiicere potest. Eadem interim norma, vtcunque et quantum fieri potest variata, pueri nostri animo semper obuersans in motuum vtcunque variorum, eodem tamen, genere neruosum systema detinet. Id seruis ocuis molestiae sensum in puero commouet: qui

alias propterea in nervis motiones, ergo et alias in mente ideas, aliaque adeo obiecta, lusus, crepundia affectat, huiusque praetextatae suae petulantiae rationes cum animo suo agitatis, ut sibi videntur, speciosas.

Nihilominus pater perpetuo illum a quiscuilibet arceat, et ad scientiarum studia, aliaque honesta, iucunda, adiphora exercitia in tempore et in primo quasi germine iam poenae metu, iam paterni amoris commemoratione, iam gloriae aut praemiorum cupiditate, ideoque per affectus oppositos, suffocet.

Inter haec puer adolescit, corpusque cumque illo nervi omnes iuxta cum cerebro roborantur, illi nempe nervi, illudque cerebrum, quod in constantissimo, utcumque vario, ordine conservatum hactenus est.

Temporis igitur diurnitate illa cerebri pars illique praeterea nervi, quorum servitio mens imprimis utitur, optimo motuum generi eoque adfuerunt, ut non sine difficultate quadam ab his motibus ad alios, quibus indulgere hactenus non potuerunt, abduci queant. Talem olim idcirco puerum, paulatim adultum, nunc plerumque alia oculifera multo minus conturbant.

Vnde et primus a virtute secessus nunquam levi opera fit; sed manifestam aliquam difficultatem sub vitioso quocumque primo conatu in ipso corpore anima sentit. Quamobrem si eiusmodi hominem deteriorem posthac evadere videas, fiet id ut plurimum primis temporibus lente, donec anima repetito impio exercitio eius

usque exurgat, vt auctis sensim viribus salutarem neruosi systematis renisum omnem infringere detur.

Vt igitur experientia in hoc aliisque, mihi probe notis, exemplis nos non doceat, quod culta pueri ratio eum ad virtutem ferat. Sed pater eadem potius opera et virtutem et rationem eius adiuuans ipse et solus eum ad virtutem ducit. Adultus eiusmodi homo, si quando et in posterum suae virtutis perstudiosus apparet; crederet quis prima fronte, quod et ipse sine dubio credit, virtutis hoc studium, quemadmodum olim, ita et nunc per rationis causam vterius vrgeri. Sed errorem et ille et alii committunt, satis, ni fallor, nunc in oculos incurrentem.

Verius ex illis, quae hucusque explorata sunt, hoc modo se res habere videtur. In primo studio sola paternae auctoritas nunc per frequentes animi affectus, nunc per literarum aliarumque artium exercitia animam pueri et ad probas ideas cogit, et a malis cogitationibus auertit. Haec pueri anima dum et neruos et cerebrum in consensum trahit, totum paulatim neruosum systema ad probas, si ita loqui fas est, motiones vicissim cogit.

Inter harum motionum continua exercitia adultum et roboratum pueri corpus quidni manumissum nunc paternae tandem institutione cessante, a propria anima eodem modo regi se pateretur, quo hactenus rectum cuique vnice aduetum est? Quin imo magis dicendum est, quod corpus, non nisi ordinatis motibus innutritum, pariter nunc animam suam ad probas actiones de-

terminet, recta ratione, quae interea temporis simul ex-
cultata est, simul quoque adiuuante.

Est haec in homine ratio solis instar. Si gressui ad-
fuetus es, incedere, viam facere vtcunque potes, etiam
absque solis lumine. Vt autem viam ipsam, vt tuum in-
cessum, vt obiecta et vicina et remota distinguere, vt
tui itineris certus, vt securus esse queas, id soli debetur.

Quocirca id satis patere puto, quod non rectae ra-
tionis incrementum, sed sola consuetudo educandis in-
fantibus par sit: consuetudo nimirum nunquam, quoad
fieri potest, interrumpenda; talisque porro consuetudo,
qua mens ad veras probasque ideas neruique et cere-
brum ad mentis normam diriguntur; frequentes scilicet
nunc gaudii timorisue affectus, nunc frequentia vtilium
rerum studia noxiis quibuscunque aliis affectibus oppo-
nendo.

Breui, totus educationis cardo in eo vnice versatur,
vt instinctus iste naturalis, quem supra depinxi, expel-
latur: vt nunc blandimentis, nunc metu anima saniori-
bus ideis, saniorique huic animae vniuersum neruofum
systema adsuescat; vno verbo, vt nouus quidam instin-
ctus adeo in toto corpore firmetur, quo hic tandem na-
turalis fiat.

Neque cessare infantum educatio debet, priusquam
nerui satis firmati sint, iuxta cum cerebro, itaque no-
uus ille instinctus alte satis radices suas egerit.

Ni hoc fiat, ex optimis saepe pueris infandae ma-
li-

igitatis vi
inquinem
videm vic
dicens nat

Erenim
media licet r
us illum a
solo hoc p
quod si eni
ere velis,
nobis el
stam men
tudiorumq
ctus pruden
tionum ver
andas pot
andum fac

Duo au
sas actione
nempe sapi
tiones om
infantum re

Affectu
nus negle
vt sic
at tant
tum impier

ignitatis viros prorumpere, doleas. Cogita, quaeso te!
 quinquennium NERONIS. Tum enim ratio meliora
 quidem videt, probatque, sed deteriora sequitur reui-
 uiscens naturalis instinctus.

Etenim inter virtutis bonarumque adeo actionum
 mediâ licet rationi locum suum egomet assignauerim, pro-
 prius illum adhuc limitaturus: fateare tamen, oportet,
 a solo hoc praesidio exiles valde vires lucrari nos posse.
 Quod si enim propositiones demonstratas memoria col-
 ligere velis, triplici saltem modo rationem rectam vsui
 hic nobis esse posse, constabit. Nam vel ad illam sic
 dictam mentis abstractionem, vel ad vtilium negotiorum
 studiorumque tractationem, vel ad animi denique affe-
 ctus prudenter excitatos confugas, necesse est. No-
 tionum vero analysis in homine bene educato ad ca-
 uendas potius malas actiones, quam ad infantem edu-
 candum facit.

Duo autem priora illa artificia vnice fere ad peruer-
 sas actiones euitandas, tertium vero illud, affectuum
 nempe sapiens regimen, ad vere bonas optimasque a-
 ctiones omne humanum genus quum aduultorum, tum
 infantum rectissima via ducit.

Affectuum vero, namque horum scientia, nimis ha-
 ctenus neglecta propius cognosci meretur, artificium il-
 lud, vt sic loquar, duplex est: vel enim leniores affe-
 ctus, at tanto frequentius, commouentur. Tales sunt
 odium impietatis, probitatis amor, amor bonae consci-

entiae, laetioris famae, similesque alii. Et his quidem
 ciendis nutriendisque affectibus mirum in modum vera
 philosophia patrocinator.

Vera scilicet illa philosophia est, quae distinctas si-
 bi rerum necessariorum omnium adaequatasque notiones
 conquirat; quae ad consensum dissensumque harum ide-
 arum animum semper advertit, quae rerum proinde om-
 nium agendarum causas finesque curate metitur, na-
 turalique corporis instinctui, si quando is obstrepere in-
 cipit, nobiles illos affectus sine mora opponit, ex prae-
 sentium idearum indole sapienter elicitos.

Quotquot vitam suam sic instituunt, illi quidem ea-
 tenus ne errare quidem possunt. At quam paucis CO-
 RINTHVM adire datur?

Alterum vero artificium hoc est; si ratio minore
 quidem opera ad rei familiaris augmentum, ad dignitatum
 acquisitionem, ad DEI punientis grauem iustitiam, ad
 aeternos poenarum cruciatus, ad futurae vitae magnifi-
 ca praemia similiaque prospiciendo, ad violentos animi
 affectus totum corpus concitat, horumque ope naturalis
 instinctus impetum compefcit; saepe etiam simul et se-
 mel frangit et contundit.

Qualia quidem illustria mihi exempla visa sunt.

Hinc est, quod inter foeminas, Gallos, Arabes,
 in quibus omnibus videlicet eximia ad affectus naturalis
 propensio est, tam stupenda pietatis monumenta ex-
 stent

stent. Nam insignis ista ad affectus inclinatio immenso-
rum scelerum, nec minorum virtutum foecunda mater
est

Et illam quidem rectam rationem, quae primo af-
fectuum artificio par est, quaeque ex notionibus distin-
ctis affectus cuiuscunque demum necessitatem concludit,
et ad eum progreditur, *rationem philosophicam* dicere
oportet. Alteram vero rationem, quae communi mo-
do sensui adueta et clavis saltem rerum notionibus im-
buta vehementioribus duntaxat affectibus praesidet,
vulgarem appellare soleo, quandoquidem eius faculta-
tem et vilissimo hominum generi a patre *τῷ δοροδοτῆ*
datam esse, constat.

Ni vero utraque et vulgaris et philosophica illa ra-
tio ideas suas eousque intendere, easque tot aliis ideis
focis accumulare nouit, ut in verum denique saepius
reperendum animi affectum adolescant, nae ille laterem
lauabit, quicumque, eas insigni quodam stabilimento fu-
turas esse, sperare ausit. Instinctui videlicet naturali vin-
cendo alia quidem arma destinari debent, quam merae
tantum distinctae ideae rationis philosophicae aut ratio-
nis illius vulgaris ideae clarae.

Id in plerisque hominibus clarissime videre est, qui
simili fere omnes vulgari ratione dotati, necessitatem pro-
bae vitae omnino perspiciunt: illa nihilominus susque de-
que habita, nihil voluptatum usu prius, nihil antiqui-
us habent.

Per-

Perinde etiam philosophica ratio sola cultores suos adeo non sapientes, hoc est, probos reddit, ut contra in multis eorum eandem, quam etiam in abiectionissima plebe, vitiorum labem detestemur.

In neutrius nempe rationis usu, ergo nec a toto humano genere, ad eximiam diuinamque animi affectuum potestatem satis attenditur.

Nec difficultatem nobis ullam faceret haec observatio: quod tamen sint, qui quam a prima infantia in omnem nequitiam prolapsi, tum reliquo etiam vitae tempore malo genio indulgentes subito ad meliorem mentem redeunt. Huius namque reditus causa inepte ipsa ratio, qua talis, ex somno veluti suscitata creditur.

Quotquot enim sic ad virtutem se accingunt, eo adiguntur, vel quia corpus suum absumi dolent; vel quia res suas familiares perditum iri sentiunt; vel quia infamiae cuiuscunque demum formidine terrentur; vel quia diuini numinis vindictam metuunt.

Corporis breui instantem interitum mortemque adeo qui metuunt; qui DEVM metuunt vindicem; qui infamiam, qui paupertatem metuunt, quidquid demum agant, metuunt certe. Metus vero quantam potentiam exerceat, tum praesertim, si, ut saepe fit, nunc terror, nunc desperatio per vices se illi iungit, id quanquam ex communi vita satis euidens esse potest, rectius tamen ex ipsa exemplorum inspectione intelliges.

Illud

Illud
 sternari,
 ara deman
 m grauite
 agnans, v
 ic se voluen
 u animi to

 Quam o
 nem videm
 e anxietati
 sanctissimi
 alaque omni
 em tamen u
 ur, collect
 eque super
 m patiente
 m adiutus.

 Itaque n
 d pietatem
 furorem,
 ne concu
 ferorum so
 ad viuidas
 a diuidunt

 Namque
 ter pietat
 concunq
 scio malu

Illa namque animi pathemata vniuerso neruorum systemati, praecipue vero illis neruis, quibus pectoris cura demandata est, iam relaxando, iam constringendo tam grauius incubant, vt sanguis vel in cordis regione stagnans, vel horrendo cum impetu nunc huc, nunc illic se voluens incredibilem, quam neque corpus, neque diu anima tolerare potest, anxietatem producat.

Quam doloribus etiam atrocissimis ferendis saepe parem videmus, ea quidem patientia humana perferendae anxietati semper impar deprehenditur. Quapropter et sanctissimus **SERVATOR**, quum omnes dolores malaque omnia mira cum patientia superasset, anxietatem tamen illam, cui in Gethsemanes agro exponebatur, collectis quibuscunque quantumlibet magnis viribus, aequae superare non potuit. Superauit tamen ultimo illam patienterque tulit, diuina ope per coelestem genium adiutus.

Itaque miseri eiusmodi homines, velint nolint, vel ad pietatem compelluntur, vel ad desperationem, vel ad furorem, vel ad ebrietatem, quae torpentes neruos grate concutiat et adstrictos relaxet, vulgarissimumque miserorum solatium esse solet, vel ad medicorum artes, vel ad viuidas denique, quae aegram mentis cogitationem diuidunt, voluptates.

Namque ad aliquod ex his auxiliis, licet omnibus praeter pietatem infidis, confugere necesse habent, quoscunque magna aliqua anxietas premit: summum profecto malum, quoque maius, si quidquam video,

in hoc terrarum orbe, forsân nec alibi, datur; inprimis
tum, quando per interualla ad vsque terrorem excrefcit.

Vnde et insignis anxietas, at quotidiana, a quo-
cunque vel leuissimo etiã foliorum strepitu commo-
uenda, in poenae maioris locum primo homicidae CA-
INO cedebat: anxietas perpetua et diuturna, ideoque
certo respectu tolerabilior, alio autem respectu nihil
quidquam inde melior.

Quare si, quod res est, dicendum est, non per
ipsam eamque solam rationem mali homines probi eua-
dunt; sed multo maxime per animi affectus, a quacun-
demum ratione saltem directos.

Perlusra m'hi sapientissimam optimamque CHRIS-
TI moralem doctrinam.

Tota illa affectibus plena est, sed fere lenioribus,
quales ad philosophicam sic dictam rationem paulo an-
te reruli. Exempli loco sint euangelii MATTHAEI
Cap. V. comma 3. ad vsque 13. comm. 24. 28. 41.
42. 44. Cap. VI. comm. 3. 6. 14. 17. 25. 33. Cap.
VII. comm. 1. 6. 7. 12.

Atqui animi affectuum quantam non partem mere
corpoream esse, abunde supra demonstratum dedi?

Ex paucioribus his, nam pluribus documentis ac-
cumulandis supersedeo, hoc modo rationes ineundas es-
se, existimo: nimirum licet corpus humanum non ca-
pax virtutis sit, sed haec idearum potius veritati ordi-
ni-

nique earum continuo innitatur; hae tamen cogitationes in voluntate nostra ad bonas actiones definienda oleum et operam perdunt, nisi vel magno aliquo violentoque affectu, vel consuetudinis diuturnitate, quae minoribus, sed fere perpetuis affectibus constat, omnes etiam neruorum et cerebri vires ita disponantur, vt hae vires nouo nunc veluti naturali instinctu virtutum praxin, earumque desiderium pmocueant.

Sola rationis emendatio non facit homines probos: non sola regendae voluntati est; ceteroquin eruditorum neminem improbum videres. Vides autem bene multos. Similiter sola neruosi systematis ordinata dispositio, vtut magna scelera homini defendere, vere tamen bonum eum reddere veraque cum virtute imbuere nequit, quae vera quippe virtus cogitari non potest, vt sine claro rationis lumine vnquam subsistat.

Nobile profecto virtutis nomen non illi ex merito conuenit, qui saepius bene facit; sed illi demum, qui perpetuo bene quique nunquam, quantum licet, male agit: qui bonas actiones non saltem quoad numerum, verum etiam quoad singularum magnitudinem eousque adauget, quousque potest: qui quodcumque vt bonum agnoscit, vero quodam amore, et vero quodam odio malum omne prosequitur, iustamque quum in amore, tum in odio isto mensuram sapienter implens, omnibus maioribus pariter et minoribus officiis defungitur: cuius porro actiones omnes ad legitimam harmoniam ita inter se consentiunt, vt vnam aliquod et perfectum totum absoluant, vnamque aliquam vitam, vni perfectionis re-

gulae consentaneam ultimoque, qui optimus sit, fini adaptatam; variam tamen illam, quantum per harmoniae istius leges licet; quandoquidem cum deficiente varietate vera humana vita quoque deficit, nomenque potius vegetationis meretur: qui postremo in omnibus, quam perfectam nemo obtineat, aliquam tamen facilitatem, quam habitum vocant, adeptus est.

Nunquam enim cum vitiis luctari, vel nequitiae est omnibus numeris absolutae, vel fœcordiae plusquam brutae est, vel est fortis melioris, quam humanae: semper vero cum illis luctari, hominis est sapientiam equidem desiderantis, at nondum sapientis maleque educati.

Quae sanitatis corporeae, eadem et virtutis imago est. Etenim perfecte sanum hominem, non nisi illum vocamus, cuius corpus cum constantia et facilitate quadam omnibus suis muneribus, at quam varia haec? tam expedite fungi potest, ut commodum sit animae domicilium. Quemadmodum sanam mentem illam demum vocare oportet, quae non quibusdam, sed omnibus sibi demandatis provinciis ita satisfacit, ut commodum domicilium verae sapientiae esse possit. *Corporis* ergo *sanitas* est habitus omnibus suis sic dictis functionibus, *animae* autem *virtus* est habitus omnibus suis officiis defungendi.

Ad hanc vero virtutis ideam ut homo efformetur, ratio quidem recta, si quidquam aliud, requiritur. Quoniam autem periculosa alearum plenum et finitu impossibile opus est, per solius rationis cultum omni corpo-

ris

ris renifui obuiam ire; aequè difficile in infantibus, quorum ratio valde adhuc debilis et impotens est, quam in adultis, quorum corpus turbulentis motionibus iusto diutius adfuetum a ratione, vtcunque valente, regi negat; propterea in infantum educatione remis velisque eo deproperandum est, vt totum neruorum systema in ordinato talique semper flatu conseruetur, quali ad salutares ideas in actum deducendas mens indiget.

Eaque corporis cura tanto maioris pretii est, quanto certius constat, in toto hoc vniuerso pulcherrimis harmoniis plena omnia esse: nec sine eximia aliqua harmonia bonum quidquam, aut amoenum, aut vtile, aut honestum iure meritoque dici posse. Veluti virtus igitur sine corporis et rectae rationis consensu inconcussa diu subsistere nequit: ita consensus, grata quaedam harmonia, quam PYTHAGORAS suo more musicam vocasset, corpus inter et animam flatuatur.

Huius harmoniae in prima infantia spretae difficilem postea perfectionem, quotquot probi unquam sapientesque fuere haud dubie conquesti sunt: ad vnum omnes experti, bonae mentis vel optimam rationem rebellibus corporis motibus rarissime aequiparari posse.

Proinde et scitissime in toto hoc negotio corporis seu carnis infirmitatem sapientissimus SERVATOR causatur. Namque discipuli vigilare iussi, quantumuis eorum anima in obedientiae consensum corpus quoque sum trahere allaboraret, ponderosum tamen nimis illud deprehendebant, quam vt non somni illecebris totum

succumberet, sola scilicet ratione illud recturi, quod non nisi vehementioribus tristitiae, metus, amoris, misericordiae affectibus regi poterat. Vnde et sacras illis preces paulo ante commendauerat; id est meditationem affectibus plenam sanctissimis.

Ex illis, quae huc vsque diligenter explicui, sine dubio apparet, in infantum educatione, quocumque demum modo illa instituatur, eo semper respiciendum esse 1.) vt instinctum naturalem seu corporeum minuamus per animi affectus in tempore excitandos, metum praefertim, gaudium, indignationem, laudisque desiderium, 2.) illique, quantum fieri potest, velificemur per obiectorum laborumque nunc seueriorum, nunc gratiorum varietatem; prudentissime cauendo, ne unquam vere vacui sint, ne tum quidem, quum vel maxime vacui sibi esse videntur. 3.) instinctui autem rationali satisfiat per exercitiorum vtilitatem omniumque rerum, quibus opus est, distinctam cognitionem debitumque earum nexum.

Prudenter quidem, verum et diligenter omnes, non quidam, industriae nerui in illis intendi debent. Et per hanc porro tentaminum nunc ad corporis agilitatem, nunc ad animae perfectionem spectantium varietatem, dici non potest, quantum simul eorum sanitati consulitur, vti harum rerum gnari vel sine me monitore probe capiunt.

Quare illi, qui sollicitam talem liberorum suorum institutionem negligentes debilem saepe eorum valetudinem

causam
non dic
ta, prob
rudo homi
o infelicem
tur, liberos
nigeros et
virtus est
vero non
et.

Vt probi
ibus omnib
adulo accer
vulturam re
omibus imb
agi fiant, t
eada omnia
l varia corp
eana temere

Risum,
tur quicum
qua cum e
Imo ve
debent, vt
suae libe
tino tradit
Peruersa
consuetudin
re, corrigam

nem causantur, toto coelo errare mihi videntur. Ve-
iam non dicam, sanitas hominum siue firma sit, siue te-
nera, probos omnes esse debere. Sola prospera va-
letudo hominem non beatum, nec sola debilior valetu-
do infelicem eum reddit. Et ego quidem, si optio da-
retur, liberos malle debiles et obediens, quam im-
morigeros et robustos: quandoquidem obedientia vnica
illa virtus est, cuius capaces infantes sunt. Verum e-
nim vero non tali solatio vel accuratissima educatio in-
diget.

Vt probi infantes euadant, ab omnibus malis acti-
onibus omnibusque corruptissimi seculi sanctis obiectis
sedulo auerantur. Vt ad veram sapientiam perueniant,
multarum rerum scite inter se connexarum distinctis no-
tionibus imbuantur. Vt ne animo denique et corpore
aegri fiant, ad alia aliaque obiecta recto ordine consti-
tuenda omnia saepe adnoueantur; manudicendi simul
ad varia corporis exercitia; sic tamen, vt nunquam illis
frena temere et penitus laxentur.

Risum, me hercle! ne quid grauius dicam, me-
rentur quicumque pueris mandata solum dant, aut illos
magna cum eloquentia solum docent, quid facere oport-
teat. Imo vero illi nunc blanda, nunc seueriore vi co-
gi debent, vt quae facienda sunt, actu et semper faci-
ant; siue libertati, qua abuti tantum norunt, nunquam
omnino traditi. Adfuescere, innutriti benefactis de-
bent. Peruersam eorum naturam continua, sed opposi-
ta, consuetudine, quae altera nempe natura recte vo-
catur, corrigant parentes.

Quo

Quoties equorum magistros tanta cum industria in horum animalium institutione desudare video, toties ego humanam sortem insigniter doleo. Illi vero quantum non molestiam deorare, quantasque difficultates et ingenio, et arte, et labore superare opus habent? Superant nihilominus et ex indomita inutilique fera morigerum vtilissimumque equum formant. Namque illi non solum verbis omnem rem conficere tentant, sed cata manu equum suum ducunt, cogunt, corrigunt, blanduntur, puniunt.

Anticyram profecto nauigare illum hortulanum iuberemus, qui arborem educaturus ratiociniis coram illa instituendis inutilem temporis iacturam faceret. Is sane nisi arborem mali moris firmiori fulcro adstrictam recte adurgere cogat, curua illa sine dubio ascendet.

At iuxta cum arboribus equos recte rationis capaces esse, negabis. Ego vero et liberos nostros capaces esse rectae rationis, rotunde nego. Quum is quippe nondum rationis capax merito censendus sit, qui, quid agere oporteat, solum intelligit: sed is vnice, qui ope earum virium, quas recta ratio illi sufficit, instinctum corporis vincere potis est. Atqui hoc infantes nostri non possunt, etenim neque eorum etiam id efficere possunt parentes.

Prospiciendum igitur est, ne ab vnica virtutis regula, quae in omnium facultatum harmonica perfectione consistit, vel transuersum vnguem discedant: intra bonae educationis gyrum semper continendi.

Vel

Veluti is
tatem habe
endi: ita p
opera seru
mis in praec
psu suo reu

Ille namq
mate enascit
suauitatem
non possint
re. Dulc
extremis r
antocius tra
ficillior, quo

Dum e c
untur, quan
que dum cu
n systema in
erit. Nam n
est; sed p
oportet.

Probus niri
aduetus
innuebam
nobis nil
conuenit.
illa esse, c

Veluti is enim, qui lapidem iacit, etsi mittendū potestatem habeat, non habet tamen, eum pro lubitu retinendi: ita pueri, qui in angusto virtutis tramite minore opera seruari possunt, vbi semel ab improbis desideris in praeceps dati sunt, non sine magno labore e lapsu suo reuocantur.

Illam namque, quae ex hoc errore in nervoso systemate enascitur, motuum insignis varietas tantam animo suauitatem addit, vt pueri, diutissime illius memores non possint non et in posterum eam ardentissime expetere. Dulce illud errorum venenum quamprimum vel extremis modo digitis semel tractauerint, vitium quantocius trahunt difficiliorque redditur educatio, eo difficilius, quo saepius peccatur.

Dum e contrario tanto difficiliora scelera omnia efficiuntur, quanto longius pueri nostri ab illis remouentur: usque dum cum reliquo corpore totum pariter nervosum systema in salutari motuum genere firmatum satis fuerit. Nam non solum improbo homini factu difficilis virtus est; sed probo etiam homini factu difficilia scelera sint, oportet.

Probus nimirum ille demum vocari meretur, qui virtuti aduersus est, quique cum quadam facilitate, vt supra innuebam, eius mandatis obtemperat. Facile autem nobis nihil est, praeterquam quod cum natura nostra conuenit. Atqui euidenter demonstraui, ex natura nostra esse, quod ad continuas mutationes proni non

in vno eodemque statu, proinde nec in vno illo virtutis tramite consistere diu queamus: illo instinctu rectae rationi tantum non semper renitente. Quem igitur instinctum hoc respectu malum vocare licet, quemque alii forsitan corruptam naturam appellare mallerent. Quamobrem vt totus homo bonus efficiatur, aliam naturam adfiscere oportet.

Naturam vero non ratio, sed consuetudo, quae altera natura hinc recte dicitur, compensat. Ex consuetudine ergo naturam adeo nouam comparare fas est, priorique naturae seu naturali instinctui adeo oppositam, vt postremo totus homo nouus appareat. Quod opus quo maturius inchoatur, eo minore illud labore constabit.

Quid de illis ergo statues, qui, dum cerei adhuc et flexibiles infantes sunt, ad bonae rationis normam eorum conamina non dirigunt; sed funestis et moribus et cupiditatibus adsuescere illos, sinunt? inani hac spe se lactantes, quamprimum ad maiorem aetatem peruenerint, fore tum eos aptiores ad virtutem, ad quam nunquam recte instituti sunt, quamque nunquam acquirant; prouti nec eorum parentes eam vnquam degustauerunt.

Videlicet et horticultores nostri satius agerent, si arborem curuam adolescere prudenter sinerent, ob eam nimirum, si Diis placet, egregiam causam, ut dein tanto facilius recta se duci pateretur. Systema neruofum, cuius radix cerebrum, est talis arbor, quae sollicite educari debet, priusquam per aetatem obrigescat. E-

Erunt procul dubio, qui laboriosum valde multarumque molestiarum hoc negotium esse, existimaturi sunt. Fac autem, educationem infantum rem adeo esse difficilem, ut prima fronte videtur. Quid hoc? difficilia omnia, quaecunque pulchra, honorifica, utilia sunt. Imo ipsa etiam scelera non semper sine magno labore perpatrantur. Veruntamen errant quotquot omnium difficillimam infantum institutionem esse, putant.

Noui ego rem longe adhuc difficiliorem, neque minus tamen necessariam: adulti nempe hominis institutionem. Itaque ut opus minus difficile euitetur, num ad opus infinitis modis difficilius confugiendum est?

Sed cordato homini, ut verum fatear, facilis est infantum educatio, modo non interrumpatur. Neque haec continuatio difficilis videri potest, nisi voluptario patri et effoeminato, qui in utramque aurem secure dormire, vitam esse beatissimam credit, probe ignarus, nullam prorsus sine virtute voluptatem veram esse in homine utcunque Christiano, diuque consistere posse.

Cogita igitur, obsecro te, quantum temporis et diligentiae homines saepe abiectissimis animalibus suis formandis impendant. Memini galli gallinacei, namque duorum horum exemplorum commemoratione nuper adhuc pigrum quendam patrem excitaui, qui tanta cum cura edoctus erat, ut incredibilia perficeret.

Porrigebat illius herus, Anglus, cuius spectato-

rum, qui frequentes aderant, singulos baculos, quos successiue in gallum, qui viginti circiter passibus distabat, eo fine conicerent, vt si possent ferirent, eumque interficerent. Quid fit? Plus quam triginta vicibus idem periculum frustra fiebat. Frustra, inquam. Namque miserum hoc animalculum, erat enim exiguum, nunc nonnihil subsiliendo, nunc paululum se incuruando, nunc parum retrogradiendo, nunc ad alterutrum latus paulisper cedendo tam scite discrimen omnem evitare norat, vt sedula illa tot spectatorum industria efficeret penitus nihil.

Alias canem vidi artes non minores callentem. Qui illum instituerat, homo Gallus singulas alphabeti literas totidem chartis lusoriis inscriptas consueto ordine in terra disponebat. Quaelibet autem litera bis, ideoque pro quauis litera binae chartulae aderant. Interrogabat spectatores de nomine a quo, quo accepto, literas eius omnes clara voce cani repetebat. Vidisses, canem quaerere literas, earumque quamlibet sine confusione inuentam ex serie reliquarum ore protrudere. Quum exempli loco Constantini nomen a quodam propositum esset, in quo nempe litera n ter occurrit, quae bis modo in dicto alphabeto adhibita erat, quantocius canis literas nouem priores monstrat: ad tertium n quam peruentum esset, primo illi nonnihil aqua haerere, sed paulo post is literam n priore loco usurpatam in locum tertii n eligere.

Quod si nunc eandem indefessam operam infantum

tum

in educati
ne animal
te cum
minum n
orrigeretur
tepe insti

Quis n
debere,
is? et qu
ari posse,
quis porro
hristianorum
s infantem ed

Itaque
ibus nostris
arumque art
us, et quid
ie infantum
iter capere
igitur ad o
uceremus?

Non inge
nem illa,
ritatem in
ter et laeto

tum educationi impenderemus, quam horum aliorumque animalium utcumque ferorum institutioni maiore certe cum molestia impendi videmus; nonne noxius hominum naturalis instinctus aequè feliciter et plenius corrigeretur, quam naturalem animalium crudelissimum saepe instinctum mitigari videmus?

Quis negare aufit, humanum genus malum vocari debere, non obstantibus paucis quibusdam vere bonis? et quis porro negabit, equorum genus bonum vocari posse, non obstantibus quibusdam mali genii? et quis porro dubitabit, similiter hominum ad minimum Christianorum genus melius futurum esse, si diligentius infantes educarentur?

Itaque donec equis tam docte efformatis, donec canibus nostris venaticis tanta promptitudine imbutis, simiarumque artibus cantuque et loquela avium gaudeamus, et quidni illis gauderemus? pudeat nos, neglectae infantum institutionis! Ad exercitia omnia, quae vtiliter capere possunt, haec animalia adaptantur. Nonne igitur ad omnes aequè virtutes liberos nostros manduceremus?

Non ingenui profecto, non honesti hominis est, minorem illa, quam in equorum gratiam deuoramus, difficultatem in humani generis emolumentum non patienter et laeto animo tolerare velle, in tantum aesti-

mandam, in quantum probitas et mascula futurorum
 ciuium virtus intelligi possunt.

En tibi breuem humanae naturae, qua mora-
 lem bonitatem spectat, historiam! Eam ex innumera-
 bilibus experimentis per plures annos curate et pruden-
 ter captis deduxi et cum generali educationis omnis
 infantum aduultorumque imagine hactenus coniunxi.
 Nonnulla paulo altius repeti, non quod in pauciores
 chartas amplissima quaeque scientia redigi nequeat; sed
 quoniam succincte illa dicere non oportet, quae nimis
 ample nosci non possunt.

Namque constare ex dictis velim, primo ad in-
 fantum educationem multo plura et maiora requiri,
 quam vulgo credi solet; eam itaque non exile quod-
 dam *παρεργον* esse, quod vilissimo cuique mortalium,
 vt toties nunc fit, credi debeat. Ergo secundo scho-
 larum publicarum aliam faciem esse debere, neque eam
 sic temere et horis subseciuis, sed diligenter mutan-
 dam esse.

Summa eorum, quae huc usque commentatus
 sum, haec est:

*BONA EDUCATIO est perpetua infantum ad
 bonas actiones, per animi affectus excitandas et con-
 seruandas perque rationis dein auctum lumen per-
 spiciendas, talis proprieque sic dicta manu ductio,
 qua*

qua et
 centia
 mascula

Quo
 tuum gen
 tio vel aue
 ere, puto.

Bona
 nos ciues
 ocul dubi
 bene a
 itates, vi
 ipius p
 ad reipubli
 promouend

Facu
 classes redi
 lectitur, ra
 untatem, in
 toribus pro

Infer
 coria, finge
 quae vero
 eo ea, mai
 stem reduc
 turam, vn
 tis, celerita

Tertia

qua et malis actionibus nullum tempus et nulla licentia superfit, et consuetudo bene agendi vera enascatur.

Quod in tota hac tractatione nomen animi affectuum generalissimo sensu adhibeam, pro omni desiderio vel auerfatione et maiore et minore, id per se patere, puto.

Bona ergo educatio illa est, quae ex infantibus bonos ciues conficit. Quisnam autem bonus ciuis? Ille procul dubio, qui, quantum licet, nunquam male, semper bene agit; qui omnes, quas natura illi sufficit, facultates, vires omnes, nulla neglecta, bene, hoc est ad sui ipsius perfectionem, igitur ad Dei etiam cultum et ad reipublicae in maioribus minoribusque societatibus promouendum usum aduertit.

Facultates porro humanae viresque omnes ad tres classes redigi possunt. Superior classis intellectum complectitur, rationem, reflectionem, abstractionem, voluntatem, ingenium et acumen. Huc omnes a recentioribus proprie sic dictae scientiae pertinent.

Inferiori classi inseruntur sensus, imaginatio, memoria, fingendi ars, et omne animi affectuum genus. Quae vero ad solam hanc classem vulgo referuntur, ego ea, maioris usus et veritatis causa, ad vtramque classem reducere mallet, poesin, musicam, sculpturam, picturam, vna cum morum grauitate, comitate, gratia, iocis, celeritate in agendo, similibusque.

Tertia denique classe continentur motus omnes
cor-

corporis. Quo cursus, equitatio, lucta, aurigatio, venatio, natandi, saltandi, nauigandi, armorumque artes pertinent, pluraque lusuum genera, et omnia denique sic dicta opificia.

Quamobrem bona educatio ad omnes has facultates, quarum nulla frustra nobis a Creatore data est, se extendere debet. Sed ordine hic peropus est et mensura.

Quoniam vero homo tum demum bonus fit, si mala eius natura in bonam mutatur per consuetudinem, quae sola scilicet noua seu altera natura dicitur: et quia porro virtutis quidem sedes anima, sed corpus animae sedes, huiusque consensu nunquam interrumpendo omnino opus est: eapropter attendi semper oportet ad palmarium hunc omnis bonae educationis canonem.:

Mala nimirum hominis natura subigi non potest, nisi per continuas occupationes, quae a malefactis arceant, et per salutare animi affectus, qui boni verum amorem et verum mali odium suscitent et euehant.

Namque abstractionis et distinctae notionis non capax est tenera infantum aetas.

Omnia nunc in compendium redacturus, ad duo summa capita sic illa colligam, vt in duabus breuibus tabellis clare conspici possit, primo quomodo perfecta infantum institutio domestica ordinanda sit; dein quid ad maiorem publicarum scholarum vtilitatem requiratur: breuissimus in his futurus, quorum demonstratio in ipsa prologo habetur, illustraturus tamen breuiter, quaecunque obscuriora videri possunt. Sequitur igitur

CON.

CC
EDV
Rimae or
facultates p
minus, lae
tias. His
medam aliae
timo loco e
Ad hu
quam s
Infans a
neque stas
noueatur.
Sato do

CONSILIVM PRIMVM

DE

EDVCATIONE INFANTVM DOMESTICA.

Primae omnium, quae in infante vsurpari possunt, facultates propemodum mere sunt corporeae, famis, somnus, laetitia, plorandi membraque sua mouendi facultas. His aliquamdiu exercitatis, emergunt sensim quaedam aliae facultates inferiores. Superiores facultates vltimo loco euolui incipiunt.

Ad hunc ergo ordinem tota educatio disponenda est, quam sequentibus aphorismis complecti tentabo:

I.

Infans a primis incunabilis certo ordini adsuescat. Ideoque statis horis, non alio tempore, vberibus admoueat.

II.

Stato dormiat tempore.

I

Sta-

III.

Stato tempore molliori stragulo impositus ludat cum matre, vel nutrice, vel cum aliis, in eum nempe finem, ut se moueat et gaudeat. Namque non alia magis aetas ad gaudium facta est, quam infantilis illa.

IV.

Stato tempore quiescat in sinu materno: sic matris amor accenditur. Hac lege nobiliores indigent.

V.

Stato tempore aqua temperata, quae ergo non frigeat, nec, nisi primis saltem diebus, aliquantum tepet, totus abluatur, et linteis sensim; magis magisque fricetur.

His modis praeterquam quod eius sanitas mirabiliter roboretur, nam. neque nutrimenti abundantia, neque somnus longius protrahatur, sed utriusque non temere violandus ordo, et balnea, et frisiones, et ioci sanitatem promouent, ordini etiam, quod praecipuum est, et obedientiae adfuescit.

VI.

Si vehementer plorat, inquiratur causa doloris non a nutrice, sed a medico. Haec causa tollenda. Id si, quod rarissimum, fieri nequit, ad euitandas hernias ligetur, et vena, si et hoc opus fuerit, tundatur et ploret.

Id minus damnosum est, quam si fletum suctione moderetur nutrix, pessime ignorans, hoc in irato vel aliter afflicto corpusculo multo damnosius futurum esse, quam lacrimarum fluxum, ad
pi.

pigram infantis naturam vtiliter concutiendam saepe salutarem. Quamquam, vt dixi, ciuilatus causa plerumque tolli potest: modo non infantum curam omnem sub extraordinariis incommodis medici ad ineptias nutricis ablegassent.

VII.

Paulatim maiori obedientiae et imperio in cupiditates accommodetur, monstrando saepius illi crepundia et blandas crustulas, quae cupienti per vices nunc dandae, nunc subtrahendae sunt.

VIII.

Adfuescat musicae audiendae, sed moderatae et facili et breuiori.

IX.

Nunquam terror panicus illi incutiatur, semper damnosus, nunquam vtilis, nisi in infantibus iam male educatis.

X.

Cum omnibus, quae immoderatum timorem inferre solent, pedetentim familiarior reddatur. Propterea canibus maioribus, explosioni sclopetorum, aliorum, praeter parentes, increpationibus irataeque faciei, tenebris et solitudini saepe exponatur.

XI.

Perinde nauseae, ingratiissimo et tam parum vtili

affectui in tempore obuiam eundum est. Quem in finem tractationi auium, araneorum, vermium, murium, ranarum, carnis crudae, vlceribus porro benignis, vlncribus, sanguini videndo adfuescat.

XII.

Ni mater vel nutrix et corporis sani et bonae mentis sit, ablaetandus est. Lac animale cum pane biscocto et, vbi ex vsu est, cum aqua temperandum, ex voto nutrit et imprimis roborat. Lac vero muliebre animi pathematibus deterioribus infantem imbuit.

Hoc modo infans nondum dimidiata verba tentans fere curandus.

XIII.

Ad biennium praeter propter si accedat, loquelaeratio haberi debet.

XIV

Ab hoc tempore eo multo maxime anniti oportet, vt in omni manuactione et charitatis et decori summa ratio habeatur.

Exulent ergo violenti omnes et truces agendi modi, qui in tyrannos, in bruta animalia, non in hominem, omniumque minime in christianum quadrant. Bona educatio non superbas animas, sed humanos homines reddere debet.

XV.

Occupetur variis lufibus facilibus et ordinatis. Globulorum arbitraria iactatio, postea ludus conorum, talo.

lorum, quorum ope simul numerorum ideae formentur, alique similes huic vsui sunt.

XVI.

Si male agat, paululum verberetur, sed rarius, nunc a patre, nunc a matre seueris, at non iratis, vt regi se sentiat ab utroque.

Fatalis enim error est, si ita agitur, vt patre leniorem sibi matrem esse credere possit; vel contra: nam filiis vltimum matres, patres magis filiabus indulgent.

XVII.

Triennio superato ad sacras preces instituendus est.

XVIII.

Legere discat, primum singulas alphabeti literas, tum integra vocabula; quae vero non, vt vulgaris mos est, prius in literas et syllabas, postea rursus in integra vocabula componendas, dissecanda sunt.

Hoc artificium et taediosum est, et per multas ambages progreditur. Per integrorum vocabulorum adspersionem citius infautem legendi artem discere, experientia probauit. Nec orthographia vulgari modo quidquam adiuuatur, quae sequentibus temporibus vsu et monitis quibusdam doceri debet, hoc vero modo nullatenus promouetur; testibus tot hominibus, qui vulgari illa methodo legere docti pessime tamen scribunt.

XIX.

Vtiles et ingeniosas sententias et versiculos hilarioris numeri memoriae mandet.

XX.

Cantui sensim adaptetur; sed cantilenaе licentiores evitentur nunc et in posterum cane peius et angue.

Venena enim sunt fraudulento auro obducta. Ceterum canendi et per cantum varias animi propensiones significandi facultas quum inter hominis notas characteristicas pertineat, vt alios eius vius taccam, tota negligi non debet.

XXI.

Icones rerum biblicarum, moralium, physicarum, geographicarum, mythologicarum ad ductum ephori serio, suauiter, amice, prudenter narrantis perlustret.

XXII.

Plura et maiora corporis exercitia tractet et ludat pro portione virium. Sed et haec et reliqua omnia debito ordine, mensura, tempore.

XXIII

Si aegrotat, curandus sedulo et amice, vt per propriam experientiam discat, non vere humaniorem misericordia esse virtutem; sed a nemine praeter modum dolendus, ne effoeminatus reddatur et nimis tener.

XXIV.

Nihil illi praecipiatuſ vnquam, quod non confestim omnino perficiat. Obedientia enim infantis sanctissima lex esto. Ergo diligenter cauendum, ne iubeantur factu nimis difficilia.

XXV.

XXV.

Cum minatione parce agendum est. Vbi vero semel poena seu castigatio minaciter statuta est, quamprimum poenae conditio adfuerit, sine mora infligere illam oportet. Nam minationis contemptus longe difficillimam omnem institutionem reddit.

XXVI.

Neminem, omnium minime parentes, decet infanti blandiri, oscula figere, aut alia, quam solius educationis ratione paternum amorem illi manifestare.

Prouti magis et ultra quinquennium adolescit, exercitia augenda sunt.

XXVII.

Eo nunc praesertim annitendum est, ut rerum suarum gerendarum, paternaeque voluntatis rationes salutare, quantum pote, perspicere incipiat.

XXVIII.

Claro exemplo imprimis doceatur, DEVM et diligere et reuereri, de cuius omnipraesentia, bonitate, sanctitate, iustitia saepius loquendum nunc distincte, nunc pulchre et magnifice et poetice.

XXIX.

Lectio sacrae scripturae quotidiana sit, nec in tota dein vita vnquam abroganda. Dicit enim ignaris vix pot-

potest, quantum haec lectio iuuet, maxime tum, si cum clariore ratione fiat: egregium omnis vanitatis remedium.

XXX.

Informetur ad artem scribendi literas minores seu vulgares. Nam ad maiores, multiplici calami circumductu pingendas, maius brachii, tabulae quippe non imponendi, robur exigitur, quam quo infans vtitur.

XXXI.

Discat artem saltandi. Haec membris agilitatem firmitatemque, pectori vero et abdomini maius spatium et liberiores mobilitatem conciliat, dignitatem denique incessui.

Quater phthisin celerrime adauctam vidi ex pectoris et abdominis nimia incuruatione. Et per ineptos membrorum motus veram virtutem adiuuari, non puto.

XXXII.

Musicae et pingendi arti operam det.

Nam error hic crassus valde est, ad picturam et musicam non omnia apta esse ingenia. Vt quis in his artibus praecipue emineat, ad id naturali ingenio opus est. Vt vero quis sine errore illas calleat, diligentia sufficit et bona institutio.

XXXIII.

Si vero ingenio musico pollet, ad vnum aliquod instrumentum animum mature, hoc est, ad summum
anno

anno aetatis sexto aduertat. Nam ad subtilissimos, quibus non minima excellentioris musicae pars absoluitur, digitorum labiorumque et linguae et gutturis motus prima omnium aptissima aetas est, ob fibras nimirum omnes ligamentaue omnia maxime tum mobilia flexiliaque in quamlibet formam.

Praestantiores illi maioresque concentus, qui hodie symphonicarum, concertationum et solorum nomine vulgo veniunt, diuina et innocua voluptate animum perfundunt, a nauseosa saepe stultitia humana penitus nos fegregant, curarum omnium pulchre oblitos, et in aliud veluti orbium genus mirabiliter nos abiciunt. Haec illis vix credibilia apparebunt, qui chordarum sermones non intelligunt: pauperes animae, magnaue humanae felicitatis parte orbatae: orbatae tota integri sensus, totius auditus voluptate. Non enim aliunde, nisi ex harmonia, ex musico sonorum ordine auris voluptatem haurit, haustamque animae adfundit. Quae reliqua omnia per auditum placent, non placent, quatenus audiuntur, sed quatenus ope aliarum sociarum idearum, ideoque per accidens, se animae commendant. Audias diuinum CAROLVM nostrum, quoties defocato animo buxeam tibiam ori admouet, et innumerabiles magnae mentis cogitationes primum suo halitui, porro ligneo huic tubo, tum atmosphaerae, dehinc auri et postremo auditorum animae instillat: audias, inquam, hoc, si audire, et audita sentire, et sensa intelligere didicisti: ni hoc, surdo narratur fabula.

XXXIV.

Diuino cultui toties, quoties ille celebratur, cum omni reuerentia interfit, audita domi summatim repetiturus vel strictim iterum auditorus: et magnificere illa adhaescat, quae nostris temporibus communiter vilipenduntur.

K

XXXV.

XXXV.

Veritatum christianarum et moralium solida cognitio promouenda est. hoc est talis cognitio, quae 1) distinctis et plenis notionibus seu definitionibus, 2) legitimis et certis demonstrationibus, ad faciliorem captum omnimode illustrandis, constat.

XXXVI.

Definiendi hoc exercitium, nunquam negligendum, adaptetur quoque notionibus vulgarioribus ad communem vitam spectantibus.

Nam hoc grande profecto malum est, quod logica doctrina, quae in se et saltem theoretice spectata exigui pretii est, vniuersas scientias et ad veritates modo vniuersales, licet nec hoc saepe recte fiat, accommodatur, non vero ad notiones, quae quotidie occurrunt, quaeque potissimum vel utiles nobis sunt, vel noxiae. Ob hanc quidem causam vtilissima ceteroquin haec ars pedantissimi, quem vocant, recte accusatur.

XXXVII.

Non modo nihil discat, sed et nihil alicuius momenti agat absque sui ipsius et rei agenda distincta, si haberi possit, vel ad minimum clara notione. Sic intellectus defectui et sentiendo et reparando adsuescit, et ab erroribus cauetur.

Ex. gr. optat puerulus, vehi equo nobiliore, quem videt. Id quamprimum apparet, distincta illi notio formanda est equi nobilioris, artis equitandi et huius denique aetatis nondum satis robustae ad eiusmodi exercitium cum equo, indoctum equitem non
dia

diu laturo. Sic *Logica* practica redditur, quae nihil aliud est, quam *ars notionum distinctarum beneque nexarum.*

XXXVIII.

Pergendum successiue ad *geographiam*, *historiam* vniuersalem patriamque, *definitiones* et *theoremata* potiora *physica* et *figuras* *geometrarum* et *arithmeticae* et *philosophiam* *practicam.*

XXXIX.

Instituantur *experimenta* *geometrica* et *physica* optima et *utilissima*, si id fieri, hoc est, si *instrumentorum* *apparatus* *haberi* *potest*; quanquam et illo *deficiente* *multa* *tamen* *alia* *locum* *habent* *ad* *physicam* *generalem*, *opticam*, *dioptricam* etc. *pertinentia.*

XL.

Saepe et *statis* *diebus* *deambulet* *in* *agro* *nunquam* *solus*, *nunquam* *cum* *hominibus* *puerisque* *peruersis*, *sed* *cum* *suo* *patre*, *cum* *ephoro*, *vel* *alio* *homine* *probo* *et* *docto*, *qui* *narrando* *docet*, *et* *historiae* *praecipue* *naturalis* *exempla* *ad* *oculum* *exhibet*, *quibus* *aliquam* *oryctologiae*, *insectologiae*, *ornithologiae*, *ichthyologiae*, *zoologiae* *et* *phytologiae* *cognitionem* *acquirat.* *Dolendi* *enim* *sunt*, *qui* *rerum* *naturae* *nullam* *cognitionem* *habent.*

XLI.

Et *animi* *et* *utilitatis* *gratia* *veterum* *quoque* *numi.*

misinatum variorumque praesertim antiquorum rituum,
cognitio non penitus negligenda.

XLII.

Manuducatur ad artem exprimendi imagines in
cera, ad verniceam artem similesque, quae, quantum
ex illis ab homine ingenue educato sciri oportet, sine
magna temporis iactura cognosci possunt.

Ad hominem vere doctum multo maxime requiritur: 1] sy-
stematica, 2] multarum rerum cognitio. Scientiae omnes inter
se et cum omnibus artibus incredibili modo cohaerent. Vni sal-
tem totus incumbat, respiciendo tamen ad alias artes, ex qui-
bus principem suam scientiam augere possit. Perinde se res cum
quolibet alio vitae genere habet. Inopes illas animas vocare so-
leo, quae, praeter suam, in omni alia re peregrinae sunt. Et
quantum vacui temporis summo cum taedio illis teritur? Vnum
enim opus totum hominem semper occupare nequit. Innumera-
bilium rerum cognitioni par ingenium humanum etiam vulga-
rissimum est, modo omnia debito ordine et statis temporibus tra-
ctentur.

XLIII.

Quotidie aliquid memoriae mandet, sed nil, nisi et
probe intellectum et, si fieri queat, etiam elegans dictu.

Excellens memoria in omni negotio summi pretii rarius na-
turae, quam exercitationis donum est: licet contra vulgo, male
et inuita experientia, credatur.

XLIV.

Peregrinas doctasque linguas vsu discat, hoc est,
lo-

loquendo, scribendo; et sub lectione ephorus, vel alius linguae magister verborum significatum illi ore tenus indicet, breuiter chartae mandandum. Quae enim ex integris bene intellectis sententiis capiuntur vocabula, illa diutius animo inhaerent.

Prouti magno SCALIGERO poenae genus videbatur, lexica conscribere; perinde et lexica iterum iterumque euoluere, non multo minus infanti malum recte censetur. Praeceptorum contrarius mos est, qui, ut minori suae industriae parcant, difficilioribus laboribus grauari adolescententes solent.

XLV.

Per occasionem linguae periodorumque et numerorum leges illi indicentur, quibus intelligendis ut aures eius adsuescant, numerosae tales periodi clara voce praelegantur et ab illo similiter repetantur.

Graeca, latina, italica et gallica linguae omnium maxime numeros suos perfecere et hac praesertim dote linguas alias longe post se relinquunt. Et belgica lingua haecenus multo, quam germanica nostra, numerosior est.

XLVI.

Ipsam vero grammaticum studium differatur, donec aliquam linguae facilitatem sibi acquisierit.

Vti enim lectio et imitatio polire linguam, ita grammatica ordinare eam debet, docere non potest.

XLVII.

Praecipue inter prandendum et coenandum bonis

et hilarioribus et modestis et comibus et elegantioribus et masculis et fortibus moribus adfuescat.

Non enim alias hominem ingenuum et urbanum ab inculto facilius distinguimus, quam quando cibo asidemus. Nec facilius, quam illo tempore, pueri milleque modis errant. Vnde venci PATER meus *mensum ut nuam quandam ethicam sebolam* pluribus dissertationibus commendavit, quae aliquot abhinc annis *Novellis Dussburgensibus* inieritae sunt.

XLVIII.

Publicas, ut vocant, nouellas tum per occasionem praelegat; saepe integra carmina, quae memoria tenet, aut alia etiam elegantiore dictione elaborata recitet, ut et ad ingenuam libertatem perueniat, et elegantem eloquendi artem, quam paucissimi mortalium calient, a prima quippe iuuentute speretam, acquirat.

Haec pulchre eloquendi facultas miro modo hominem commendat. Non paucos noui, qui non alio magis nomine, quam hoc dono, vulgo placent.

XLIX.

Singulis hebdomadibus ad minimum semel instituantur colloquia artificialia; id est, integri dialogi, vel integrae scenae aliquot aut iucundae aut graues, at omnes honestae ex comicis tragicisque scriptoribus memoriae mandatae praesenti qualicumque amicorum et parentum agnatorumque coronae a pluribus, si haberi possunt, adolescentulis proponantur; quorum copia, si non datur, personae tum aliqua ephoro, patri etc. demandandae sunt.

Quo-

L.

Quotidie habeantur colloquia familiaria et liberiora, quibus occasio illi detur, proprias vires periclitandi. Ergo quae didicit, incipiat distincte narrare et cum gratia; amice corrigendus, quoties errauerit.

Sic sentiet, sua exercitia et parentibus curae cordique esse; qui sensus egregium ad diligentiam calcar est. Quum contra, si parentes omnia potius alia agant, contemptis puerilibus istis conaminibus, puerulus hoc modo veluti inuitetur, sua exercitia primum vilipendere, dein odio habere. Vt iam non statius dicam, multa excellentia et bene subacta ingenia esse, quibus omnis deest facultas, ea, quae optime didicere, distincte, multo minus eleganter cum aliis communicandi.

LI.

Cum famulis et similibus farinae hominibus familiare commercium illi non permittatur.

Etenim hoc hominum genus, si non aliis modis, ad minimum plebeia sua cogitandi et loquendi ratione plurimam nocet.

LII.

De nemine vnquam male loquatur. Si quae aliorum malefacta commemoranda habeat, attendatur fedulo, vt id sine omni maledicendi pruritu fiat.

Propter aliorum malefacta aut errores in sinu suo gaudere, diabolicam quid est.

LIII.

Adsuescat homines omnes, quantum fieri potest, be-

benevolentia et amore, eorumque saltem vitia odio prosequi.

Nam infelix ille est, qui multos homines odio habet, felici-
or ille, qui plures amat. Ut ametur, amabilis sit.

LIV.

Quotidie quaedam, quae audiuit legitque aut ipse cogitavit forte, conscribat.

Hoc exercitium triplicis usus est. Primo enim discet, cogitationes suas scite chartis mandare, quod multi experti viri ignorant. Dein magis attendet ad idearum et sermonis elegantias, inter legendum sic demum, non aliter facile notabiles. Postremo etiam ipse meditari incipiet. Solida enim fere omnis meditatio non modo primum ortum scripturae debet, sed et semper inter scribendum vires acquirit. Sunt praeterea tria haec, intellectus, sermo, scriptio manifestissimae, quae animam nostram a brutis distinguunt, notae characteristicae. Ergo et vere et eleganter cogitet et loquatur et scribat.

LV.

Adhibeatur operationibus chirurgicis videndis, ut mollities animi infringatur. Namque misericordia, quae soli sensuum teneritudini debetur, non virtus, sed mentis debilitas est, quae nunquam prodest, nocet saepe.

LVI.

Cum foeminis non sine teste loquatur, nisi cum probis, quibus non omnis terra aequae abundat.

LVII.

Si aliquando pigritia ingruit, quod per gratam laboro-

rum va
simuletur
matione,

Si po
beatur, vt
ciosus inar

Non a
tia confi
cum dil
tur opin

Si hae
tisque igno
e vrgente
nadis glori

Frequ
pudicus r

Verb
haec inca
tum tum
ria religi

Quaque
posunt, ne
at a iusto
ple deducit,
vici tamen

borum varietatem, debitamque sanitatis curam raro fiet, stimuletur vituperio, laude, aemulatione, lusu, indignatione, remunerationibus prudenter decernendis

LVIII.

Si poenam meretur, quod saepe fieri nequit, iubeatur, ut nihil discere audeat, cogaturque omnino otiosus inane et taediosum tempus in angulo terere.

Non absurdus poenae genus, quam quod in augenda diligentia consistit. Sic vel inuitus puer cogitur, ideam alicuius mali cum diligentiae idea coniungere. Omne humanum genus regitur opinionibus.

LIX.

Si haec poena non profuerit, plectatur ieiunio, denique ignominia; quae non, nisi extrema fere necessitate urgente, vsui esse debet, quum ceteroquin ad verae laudis gloriaeque studium excitandus semper sit.

Frequentibus increpationibus tandem adsuescit, durior et impudicus redditur.

LX.

Verberibus supersedendum est. Quod si autem et haec incassum inflicta sunt, mali moris puer ad militiam tum ablegetur, vel ad naues, aliaue, quae patria religio fert, instituta, denique ad metallifodinas.

Quamquam perueri tales pueri non nisi longe rarissimi esse possunt, nec nisi in prima infantia per parentum culpam perdit, aut a iusto maturiore manumissione per aliorum deteriora exempla seducti. Per aliam causam prauos homines ego non vidi: vidi tamen et examinaui bene multos.

LXI.

LXI.

In selectu ciborum pueritiae plus dandum, quam vulgo fieri solet. Multi cibi puero nauseam commouent, qui nobis arrident, arisuri et illi, vbi adoleuerit. Quodsi vero ad nauseosum ferculum cogatur, nihil inde boni euenit et mali plurimum.

Nam ea, quae in solo corpore vtplurimum residet, nec, nisi cum illius mutatione, mutatur, paterna certe auctoritate superari nequit, ideoque iuuenem ad indignationem, ad minimum tacitam, automatica quadam necessitate impellit, stomachoque certe nocet. Si vi superari deberet, tum tanta insfigenda poena esset, cuius malum maius esset malo nausae: quod inipium profecto: vel superari deberet fame, qua vero cessante, plerumque etiam nausea redit.

LXII.

Vestitus decenter elegantis cum ratione sit curiosus: eius nimia cura vanitatem, nulla cynicum quid redolet.

LXIII.

Immunditia omnis viperino sanguine cautius vitetur.

Lintearum pura et corporis lauatio mirifice citissimeque hominibus adhaerenti animam exhilarant.

LXIV.

Tota stomachi regio a prima infantia in frigore sit bene tecta.

Inepta illa antiqui germanici roboris affectatio stomachum primo, denique et totum corpus debilitat. Homines vero ex debili ventriculo macileati vtplurimum sunt voluptarii, vel melancholici et morosi.

LXV.

Vitetur diacta vinosa, aromatica et vltra dimidium

um carnibus constans, quae neruofum systema nimis mobile, succos vero nimis volatiles reddit et auget.

Cereuisia tenuior bene confecta, vel aqua cum pane non infusa, sed cocta et vino acuta egregium est potulenti genus. Cruda aqua in hodiernos cibos non quadrat et animam foetentem facit.

LXVI.

Abrogandi lecti ex plumis confecti, quoniam totius corporis teneritudinem ergo et animi mobilitatem promouent. Strata ex coctis equinis pilis 2 --- 3 ped. rhen. crassa omnium optima sunt.

LXVII.

Hora vespertina decima, ad summum, eat cubitum

Somnus enim a media nocte incipiens neruofum systema iusto mobilius facit et vitio debilitat. Inaequalis lucernarum lux visui earumque halitus in conclauis praeteritum angustiorem pectori nocet, et abstracta solitariaque meditatio nimis animum trahit et incredibile spirituum animalium dispendium facit.

LXVIII.

Ab anno aetatis decimo septimo non dormiat ultra septem horas.

Haec sanctissima lex esto, communi prouerbio satis celebrata, sed maxime neglecta. Longior somnus voluptatem accendit et corpus aggrauat.

LXIX.

Tandem ad nobilissimam et in maxima huius terrarum orbis parte longe vtilissimam equitandi artem tum et ad armorum artem instituat.

Vtraque enim corporis animique teneritudinem minuit et animum, praesertim equitatio, gratę diuidit et corpus roborat.

LXX.

Nec contemnenda natandi ars est, quum ob eandem, tum ob alias etiam rationes.

LXXI.

Venationis quoque aliqua habenda ratio est, quae non saltem sanitati mirifice prodest, sed et plus, quam omne aliud ambulandi genus, animum exhilarat.

Sed haec talia quidem moderate fiant, circumspecte et sub alieno ductu, rectisque et vti praecedentia omnia, statim temporibus. Etenim homini seruendum est; ni seruire vitiis velit et malo genio, seruire debet ordini, quo sine nihil quidquam laudabile est.

Exceptis aphorismis 38. 39. 41. 44. 56. 60. 69. 70. 71. reliqui omnes sunt, vtrique sexui formando pro diuersitate circumstantiarum diuersimode attemperandi. In vltiore progressu aetatis norma vtrique sexui aliquantum diuersa danda est. Namque

LXXII.

Puellae nobiliores et ditiores, praeter artes manuales et rem domesticam, ad literarum commercium cum sui aequalibus vel maioribus nunc animum aduertant, nunquam in facis parentibus, librorumque vtilium et selectorum lectionem promoueant.

Minoris fortunae virgines rei imprimis domesticae,
cu-

culinariae, mercaturae similibusque laboribus se tradant, lectionis interim nunquam prorsus oblitae.

Vtraeque enim si non nisi vitae sedentariae addictae sola artificia manuarum tractant, vacuum melioribus curis animum paulatim amori deuorandum dant, in sui detrimentum incredibiliter ingeniosae.

LXXIII.

Puer ad altiora studia, vel ad aliud, cui destinatus est, vitae genus propius accedat, obseruandus adhuc semper, et ita semper occupandus, ut totus dies bonis actionibus consumatur; ut lassus somnum potius optet, quam friuolas, quas noscere incipit, voluptates.

LXXIV.

Postremo itineribus opus est.

Haec cum animum mirifice et vtiliter recreant, pluribusque magis particularibus et practicis ideis muniunt, hucusque practice uniuersalissimis imbutum, et ab omni denique hypochondriacalabe, qua quo melior quisque est, eo facilius trahitur, maxime immunem reddunt: et peregrinari etiam inops potest.

LXXV.

In omni vrbe notata digna attendat ad loci situm; ad aquarum solique, ergo et ad aeris naturam; ad vrbis originem praecipuasque periodos et notata digniora facta; ad sacra; ad politicam; ad scholarum indolem; ad homines in quocumque vitae genere excellentes; ad bibliothecas; ad rerum naturalium et artificialium collectio-

nes; ad anatomica experimenta, nam nimis plebeium est, se penitus ignorare; ad opificia; ad manufacturas, ut vocant, et fabricas; ad vitam incolarum domesticam; ad eorum quum ingenium, tum externam formam; ad publicos ritus; ad urbis magnitudinem; ad aedificiorum normam et internum ornatum; ad curam pecudum; ad hortorum et agri culturam etc. Conciliet sibi amicos et fautores ad futurum commercium literarium. Haec in quouis loco obseruet, et in tabulas sine mora redigat. Sic demum cum utilitate peregrinamur.

LXXVI.

Redux factus mature muneri, seu mercaturae, seu arti, seu opificio adhibeatur. Sibi soli nemo viuat.

Puer enim esse desinit quousquisque, et tum demum desinit, quamprimum virilia tractare cogitur.

LXXVII.

Quo facto, sine damnosa mora se ad matrimonium accingat.

Nam satius est, per iuniores parentes nullis voluptatibus fractos genus humanum propagari, quam si maiorem aetatem variis saepe impuritatibus licenter inquinatam et debilitatam, in longum futurae progeniei damnum, male curiosi digitarunt nimis auari expectare velimus. Ad matrimonium, quocumque demum modo illud spectetur, omnium optima sunt homines iuniores, sed bene educati, ergo et sanioris consilii capaces.

LXXVIII.

Ad hominem hoc modo a prima infantia institu-

en-

endum vel patre opus est, vel ephoro prudente et industrio reliquisque donis vel iam exornato, vel illis saltem operam nauante. Discat ipse inter docendum; quo quidem modo se formantes ephori plane egregii iique plures mihi innotuerunt.

LXXIX.

Quibus haec ratio displicet ampliorque res domi est, illi mature hominem iuuenem sibi eligant pauperem, nec tamen plebeium illique, quibus disciplinis operam det, docturus eas dein, iniungant. Harum gratia tres quatuorue annis, sumtibus ditiorum illorum parentum in academiis degat.

LXXX.

Ephorus semel in domum receptus cum dignitate habendus est, familiae totius non famulus, sed vel maxime amicus, ceterum omnino ita curandus, ut ipse omnium aliarum curarum, praeter vnicam illam educationis curam, vacuus hilariorisque animi esse possit; secus ac hodiernus multorum nobilium et diuitum mos est, qui salarium summum coquo, minus rhedario seu aurigae, minimum ephoro et pedissequis destinant.

LXXXI.

Ergo ad domesticam institutionem vel praestantis ingenii parens, vel lautior res familiaris exigitur, ob plures ceteroquin causas optimam. Vnde auctor cuiquam esse nollem, ut liberos suos scholarum periculosaе ut plurimum aleae tradat, quandoquidem omnem rem domi absolueret licet.

CON-

CONSILIVM ALTERVM

DE

PUBLICARVM SCHOLARVM

INSTAVRATIONE.

Longe maximus vero parentum numerus neque
suis infantibus recte educandis, neque alendis egregiis
ephoris, nam alii nihili sunt, par est. Itaque horum
omnium innumerabilis progenies vel pessimae, quam in
plerisque scholis inualuisse videmus, institutioni deuo-
uenda, vel maior scholarum cura habenda est.

Superiore aevo, quod a reformatis sacris recen-
tius erat et a literis renatis, publicae adolescentibus scho-
lae aptae erant. Quae vtriusque aeui, istius et hodi-
erni, ea quoque rerum scholasticarum insignis est dispa-
ritas.

Magnus tum temporis scholasticis viris honos ha-
bebatur. Donis gaudebant arbitrariis eximiis. Rerum
omnium exigua erant pretia. Aedificia ex vsu erant non
adeo sumtuosa, utensilia pauca, vestitus simplex, mensa
so-

sobria, militaris ordo pacis temporibus fere nullus, reddituum nulla ars, finances vocant, mercatura paucioribus obiectis et hominibus constans, nec adeo honorata et a principibus viris fota. Adolescentes ad vnum omnes, nec proletariis exceptis, publicas scholas frequentabant, ad supremam classem vsque, ergo diu, commorantes. Ob has causas quum munera scholastica honorifica et vtilia essent, nobilissimi et genere et dignitatibus viri se illis consecrabant

Secus nunc haec omnia se habent. Discipulorum longe minor numerus est. Namque florentissimus militaris ordo immensam et nobilium et capite censorum vim absorbet. Et nobiles quidem adolescentuli nulli ad publicas scholas mittuntur. Sed posteaquam ad annum circiter decimum sextum ab ephoris, vilis plerumque pretii, in aedibus paternis vtcunque instituti sunt, Marti se tradunt.

Quae nunc vbiuis terrarum magnis moliminibus promouentur, pannorum, linteaminum, serici, holoserici, vasorum porcellaneorum, saponis, sacchari, mineralium sexcentarumque aliarum rerum vtilium iucundarumque fabricae, quaeque ex his oriuntur commercia, olim vilipensa, quot non mortales, eosque lautius sustentant, quam literarum disciplinae? Nec exiguus eorum numerus est, qui ad camerae munia, vt alias vocantur, adhibentur talia, quae nullis literis indigere, vulgo, licet male, creduntur.

Hi fere omnes publicis scholis, saltem classibus superioribus, et vna cum illis magna olim emolumenta docentibus subducuntur. Infimae fortis plures adhuc fenes noui, latinarum literarum qualicunque cognitione tinctos. Qui vero nunc pueri ad manuaras artes conformantur, in gymnasiis non apparent. Et id recte quidem.

Aucta interim sunt rerum omnium pretia, eaque nonnullarum vltra dimidium, nec tantum earum, quae ad vitae iucunditatem, docentibus omnium minime inuidendam, spectant; sed earum quoque, quibus carere nemo eorum potest. Dona extraordinaria, praesertim in locis a rerum abundantia remotis, vel nulla sunt, vel pretii tamen nullius.

Hinc tantum non vbique docentium paupertas, ex paupertate contemptus, ex contemptu socordia. Inde fit, vt in plerisque vrbibus non nisi ineptissimi mortalium ad hoc vitae genus animum aduertant. Quantum ergo boni ab eiusmodi hominibus vel exigere potest vel optari?

Ex paucis his, nam plura sciens silentii peplo inuoluo, hoc duntaxat concludi volo, publicis scholis mederi neminem posse, nisi meliores illis praeceptores praefigantur, non petendi, vt saepe fit, ex abiecta plebe, nobilioris omnis laudis ignara, sed ex meliore hominum genere; ideoque honoribus et annuis salariis maioribus inuitandi.

Ad verum eiusmodi doctorem requiritur praeter probitatem, prudentiam et eruditionem vtilem, quae rarif.

rissima in hodiernis scholis est, animus hilaris, ingenium alacre, decora auctoritas, labor indefessus. Sed homo et egenus et contemptus, non video, quomodo omnibus his numeris perfectus esse possit, nisi portenta sperare lubeat.

Duobus tantum modis malo huic medicinam adferre licet. In illis locis, quae multi diuites tenent, augenda sunt hominum scholasticorum salaria.

Idque vel aliis, qui magis placebunt, modis, vel arbitrariis et annuis cordatorum symbolis ex facili obtineri potest. Quum enim in vnico, eoque satis sumptuoso, conuiuio centum pluresue aurei lusoriarum chartarum forti exponantur, quidni annua eiusmodi conuiuia publicis scholis ad meliorem conditionem perducendis institueremus?

Alias vero, vbi diuitiarum minor vis est, numerus scholarum seu classium, nostro tempore sine dubio superfluous, ad pauciores redigatur. Romani, florente republica, in sex classes populum omnem diuidebant, quamquam nonnullis sextae classis commemoratio non arrideat, vltimam quippe hominum faecem complectentis. Ad hanc normam maiores nostri adolescentulos suos ordinari volebant, ingenio suo, Romanarum potius antiquitatum, quam verae vtilitatis curioso, sic abutentes. At cum tota rerum facie mutata mutandus quoque hic mos est.

Igitur loco sex vel quinque inopum publicorum doctorum duo modo constituentur, tribus vel quatuor vacuis salariis reliquis ex aequo iuuandi; qui vel sic quidem domesticas suas rationes curate subducere coguntur. Quare et augendum semestri, quod a discipu-

lis ditioribus exigitur, honorarium. Namque egenorum parentum filii ad studia literarum, nisi excellentissimis ingeniis praediti sint, non sine damno reipublicae admoventur, quam plebeia sua imprudentia toties conturbant. Simul illis annumerentur annui reditus, qui in multis urbibus ad munia vsurpantur vel nullius momenti, vel cum aliis muneribus apte coniungenda.

Et in huiusmodi urbibus scholarum quoque vernacularum aliam rationem esse, oportet. Sint latinorum paedagogiorum veluti seminaria, in quibus pueruli latinam linguam legere et scribere discant. In vernaculis his scholis, si ita ex usu esse videatur, pueri adultiores et pauperiores ea, quae didicere, simul doceant iuniores, si numerus discipulorum iusto maior sit. Illi vero et docendo discant.

Ubiuis autem locorum maior scholasticis laboribus honor habendus est; maior vel sua sponte futurus, si reditus augeantur. Ex inopia enim tantum non semper contemptus, perinde vti ex contemptu inopia.

Ceterum qua ratione in publicis scholis instituendi adolescentuli sint, actum agerem, si id singulatim hoc loco recenserem. De charta enim in papyrum concilienda essent, quae a praeclaris in opere viris, realium, ut vocantur, scholarum auctoribus satis superque euieta et egregiis experimentis demonstrata sunt, ad cuiusvis loci populique genium haud ex difficili attemperanda.

Atque haec quidem de ea infantum institutione, qua ad veram felicitatem et virtutem adduci possunt, dicenda habui: de curanda eorum sanitate per aliam occasionem acturus.

Q
IA
FAVST
MA
EXCEL
DN.
L. V. D.
PRIM
IN AVDI
IO
H. Fil. M
B V
Apud

QVOD SVPREMVM NVMEN
ILLVSTRI ARNOLDINO
FAVSTVM FORTVNATVMQVE ESSE IVBEAT,
MAGNIFICVM ATHENAEI SCEPTRVM
DIE XVIII. IVLII MDCCCLXVII.

V I R O
EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO
ET CELEBERRIMO
DN. HERMAN. NICOL.
FVNCCIO
I. V. D. ET PROFESSORI PVBLICO ORDIN.
PRIMARIO ET REGIMINIS STEINFVRT.
CONSILIARIO
TRADAM.

AD QVEM ACTVM
IN AVDITORIO MAIORE QVAM SOLENNISSIME
CELEBRANDVM

LITERARVM ET LITERATORVM
FAVTORES ET AMICOS
HVMANISSIME INVITO

IO. PHIL. LAVR.
WITHOF,
I. H. FIL. MED. DOCT. ET PROFESS. PVBL.
ORDIN. rel.

BVRGO - STEINFVRTI
Apud A. WELLENBERG. ARN. TYP.

QVOD SVPERIUS NVMEN
 ILLVSTRI ARNOLO DINO
 FAVSTVM FORTVNA TVMONE ESSE IVRAT
 MAGNIFICVM ATHERNARVM SEPTVNTVM
 DIE SVB IANV. CLAVDII
 V I R O
 EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO
 ET CEBERRIMO
 DR. HERMAN. NICOL.
 P V N C T I O
 I. V. D. ET PROFESSORI PVBLCO ORDIN.
 PRIMARIO ET REGIMIS STEPHVNTI.
 CONSULTARIO
 TRAIAN.

 AD QVEM ACTVM
 IN VCHITOLIO MAIORE QVAM SOLENNISIME
 DELIBERANDVM
 LITTERARVM ET LITERARVM
 FAVORIBVS ET AVGVGVS
 HVMANITATE INVITO
 IO. PHIL. LAVR.
 W I T H O F
 I. M. D. MED. DOCT. ET PROFESS. PVBL.
 GALLI. ET

 BVRCO. STEPHVNTI
 Apud A. Warranc. Ann. 1771.

Er
 Pag. 12. li
 -- 22. --
 -- 26. --
 -- 40. --
 -- 42. --
 -- 43. --
 -- 47. --
 -- 49. --
 -- 51. --
 -- 59. --
 -- 66. --
 -- 78. --
 -- 83. --

Plu
 liora
 sam a
 menda

❁ ❁ ○ ❁ ❁

Errata crassiora huc vsque reperta
sic emendentur.

- Pag. 12. lin. 9. post *Cerebrum tum* adde *pro parte*.
 -- 22. -- 8. dele *duorum* et lege *diuersorum*.
 -- 26. -- 4. - - *Hi* - - - *Hic*.
 -- 40. -- 8. loco *experetiam* lege *experientiam*.
 -- 42. -- 7. post *adiaphora exercitia* inserantur seqq:
 continuo ordine applicat, sicque deside-
 ria quaecunque insolentia.
 -- 43. -- 15. dele *studio* et lege *stadio*.
 -- 47. -- 16. loco *nouit* lege *norit*.
 -- 49. -- 26. post *pietatem* adde et *medicinam*.
 -- 51. -- 8. dele *prmooueant* et lege *promoueant*.
 -- 59. -- 21. loco *abiectissimis* lege *abiectissimis*.
 -- 66. -- penult. dele *hoc* et lege *lac*.
 -- 78. -- 4. . . *distiugnimus* . . . *distinguiimus*.
 -- 83. -- 9. . . 2 -- 3 . . . $\frac{2}{3}$

Plura forsitan, nec quidquam tolerabiliora per tumultuariæ correctionis causam admissa haud difficulter detegi et emendari possunt.

Examinatio hinc velle
hic emendatione.

Par. 1. Hic q. post Ceterum tum solo
- 2. - 3. - 4. - 5. - 6. - 7. - 8. - 9. - 10. - 11. - 12. - 13. - 14. - 15. - 16. - 17. - 18. - 19. - 20. - 21. - 22. - 23. - 24. - 25. - 26. - 27. - 28. - 29. - 30. - 31. - 32. - 33. - 34. - 35. - 36. - 37. - 38. - 39. - 40. - 41. - 42. - 43. - 44. - 45. - 46. - 47. - 48. - 49. - 50. - 51. - 52. - 53. - 54. - 55. - 56. - 57. - 58. - 59. - 60. - 61. - 62. - 63. - 64. - 65. - 66. - 67. - 68. - 69. - 70. - 71. - 72. - 73. - 74. - 75. - 76. - 77. - 78. - 79. - 80. - 81. - 82. - 83. - 84. - 85. - 86. - 87. - 88. - 89. - 90. - 91. - 92. - 93. - 94. - 95. - 96. - 97. - 98. - 99. - 100.

Plura fortiter, nec quidem tolerandi
hinc per tumultuam correctionis em-
sam ad hanc partem dilectior Ceteri et
mendari possunt.

D
AU
MAG
F
IN
FRID
PRO
N
IMMUN
PO
JOA
TYE

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

- | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|----|----|----|----|----|----|----|----|----|----|
| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 |
| | R | G | B | | | | | W | G | K | | | | C | Y | M | | | |



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

- | | | | | | | | | |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|

